ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DE DUBIO METHODICO CARTESII

Fr. P. LUMBRERAS, O. P.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DE DUBIO METHODICO CARTESII

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA

FRIBURGI HELVETIORUM
EX TYPIS CONSOCIATIONIS SANCTI PAULI
1919

LICENTIA ORDINIS

Nos infrascripti, Antecessores Philosophiae in Universitate Friburgi Helvetiorum, diligenter perlegimus opus cui titulus : *De Dubio Methodico Cartesii*, a R. P. Lectore Fr. Petro Lumbreras, Ordinis nostri, conscriptum, atque illud plane dignum iudicamus ut typis impressum publici iuris fiat.

Datum Friburgi Helvet., die 16 sept. 1918.

Fr. M. P. DE MUNNYNCK, O. P. Fr. Leo MICHEL, O. P.

Attenta approbatione a Patribus Censoribus data, imprimi permittimus.

Romae, 19 octobris 1918.

Fr. Lud. THEISSLING, O. P.
Mag. Gen.

L. † S.

LICENTIA ORDINARII

Imprimatur :

Friburgi Helv., 8 nov. 1918.

L. EMS,
Vic. Gen.

L. † S.

Quae scriptoribus sunt iura, haec auctor sibi reservat.

PROVINCIAE · SSMI · ROSARII · PHILIPPINARUM

ORDINIS · PRAEDICATORUM

CALAMO · PARITER · ATQUE · SANGUINE

IAM · INDE · A · PRINCIPIO

OPTIME · DE · VERITATE · MERITAE

PRIMUM · HOC · OPUS · QUALECUMQUE · SIT

OFFERT · DICAT · CONSECRAT

FILIUS · MINOR

ANIMI · DEVOTI · GRATISSIMIQUE

ERGO.

606

PRAEFATIO AD LECTOREM

Perfacile est observare totam Philosophiae Historiam duplici animorum cursu circumvolvi : scepticismi, nempe, coram continuo illo ac saepenumero infructuoso intestino sententiarum certamine, et dogmatismi, quod naturae sicut vox interna pro rationis causa consurgit.

At speciem, quam per singulos omnis periodi invenire licet Annales, saeculis XV et XVI potissimum apparere necessum erat. Scholastica Philosophia, una superstes, in tot iam abierat sensus, totque adumbraverat varias doctrinas, quot tota simul Historia recordatur ; et illa, quae Ecclesiastico magisterio manserat addicta, tot pariter opiniones erat amplexa, ut vix detur, intra fidei limites, novum aliquod systema reperire.

Philosophi sic dictae Instaurationis (Renaissance), qui ad graecas litteras convolaverant, non modo dissensionibus hisce nullum finem imposuerunt, quin et magnopere foverunt atque ampliarunt. Gemisthus atque Bessarion, Marsilius Ficinus et Picus Mirandulensis platonicorum doctrinas renovarant ; Stoicorum placita Iustus Lipsius ; Aristotelem alexandrinum Pomponatius, Simon Porta, Iovius, Contarenus, Sepulveda et Caesar Scaliger sectabantur, dum pro Aristotele averroistico Vernias et Achillini, Nifus et Zimara, Cesalpini et Paulus Venetianus, Vanini et Caietanus Theatinus insurgebant.

Ex quo factum est ut plures, quasi humanae mentis

imbecillitatem palpantes, ad scepticismi partes confugerent. Sanchez in Lusitania ; Montaigne, Charron, cum La Mothe-le-Vayer repraesentantes sunt in Gallia huius scepticae propensionis ; dum in Germania Cornelius Agrippa, librum conscribit *De Vanitate scientiarum*, et Hirnhaym divulgat audax non minus opus *De Typho Generis Humani, seu scientiarum humanarum inani ac ventoso tumore, difficultate, labilitate, falsitate, iactantia, praesumptione, incommodis et periculis tractatus brevis, in quo etiam vera sapientia a falsa discernitur et simplicitas mundo contempta extollitur. Idiotis in solatium, doctis in cautelam conscriptus.*

Ratio, aiebant, suis viribus relicta omnes aeque errores patrocinata est, nec absurdum hactenus invenit quod non sit amplexa. Aderant quippe coram omnium oculis eorum, quae tot erant assumpta, tentamina laboresque, fructus exigui.

Ex adverso dogmatici insurgunt, bonam rationis causam dimicantes : nihil certius, inquiunt, hac nostra veri capacitate. At ingenio pollere non sufficit, sed eodem recte uti insuper requiritur. Ratio proculdubio veritatem consequi valet, quam si nondum tamen attigit, in defectuosa, quam secuta est, via secretum frustrationis invenitur. Facilius ergo iter pandatur et ipso facto pristinae infirmitati remedium adhibebitur.

Inde fit quod ex tunc temporis et novae Logicae, et varii tractatus circa novam methodum sequendam prodeunt : Ramus redigit Dialecticas Institutiones, Acontius librum De Methodo, Herbet opus De Veritate, Novum Organum Bacon, Novam Philosophiam et De Modo Sciendi Campanella.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

* * *

Compertae sterilitatis radix multiplex erat.

In primis Antiquorum, Aristotelis praecipue, nimium evecta auctoritas, qua et adsectarum tegebatur ineptia et scientiae progressus praecidebatur.

Huius vitii magnitudinem totius aetatis labor abunde demonstrat. Auctoritas, quae locus communis est in libris, supremum etiam venit in disputationibus argumentum.

Si Platonem Gemisthus laudibus exornat, de Aristotelis praestantia Georgius Trebisontinus volumen conficit atque in hunc *Contra Impugnatorem Platonis* Bessarion rescribit. Si Pomponatius, Aristotele nixus, animi immortalitatem demonstrare posse negat, Achillini, Aristotele pariter suffultus, demonstrabilem affirmat.

Ex quo fiebat ut apud veterum sectantes doctrinas, non solum, ut loquitur Bacon, assértio maneret assertio, sed et quaestio maneret quaestio et per disputationes, nedum solveretur, aleretur magis : omnisque traditio et successio disciplinarum repraesentaret et exhiberet personam magistri et auditoris, non inventoris et eius qui inventis aliquid adiceret eximium. Unde, ut ipse concludit, Philosophia, et Scientiae intellectuales, statuarum more, adorantur et celebrantur, sed non promoventur [1].

[1] Percelebris hac de re illa Galilei narratio : « Mi trovai un giorno in casa di un medico molto stimato in Venezia, dove alcuni per loro studio, ed altri per curiosità, convenivano tal volta a veder qualche taglio di notomia per mano di uno veramente non meno dotto che diligente e pratico notomista. Ed accadde quel giorno, che si andava ricercando l'origine e nascimento dei nervi, sopra di che è famosa controversia tra i medici Galenisti ed i Peripatetici ; e mostrando il notomista come, partendosi dal cervello e passando per la nuca, in gran-

Huic vitio affine alterum erat : nimia adhaesio, ut videbatur, fidei et Ecclesiae.

Apparebat iam in veteri Scholastica, quae omnem impenderat operam ut Aristotetem, philosophorum, ut credebatur, maximum, ad christianae revelationis dogmata accommodaret : sed apparebat quam maxime in recentiori, quae continuo pro fidei rationali explicatione ad verbum Stagiritae confugiebat. Inde factum est ut qui dicebantur Innovatores et Humanistae totis viribus allaboraverint graecas litteras Ecclesiae auctoritate aut roborare aut destruere.

Sepulveda : Aristotelem, inquit, maxime sequar, summum virum, et cuius doctrina aut nihil aut perparum differt a christiana philosophia. Campanella autem : Si quis, habet, philosophorum est in christianis scholis acceptatus vel acceptandus, ille est Plato, vel alius, non autem Aristoteles.

Qui fuerat Ecclesiae quasi commune oraculum, erat nunc infensissimus hostis, et eius opera convincebantur haeresibus plena, eius systema evincebatur fidei adversum (Campanella) ; et Patrizzi iam non verebatur postulare ut pontificio et solemni anatemate a fidelium consortio vetus relegaretur amicus.

dissimo ceppo dei nervi si andava poi distendendo per lo spinale e diramandosi per tutto il corpo, e che solo un filo sottilissimo come il refe arrivava al cuore, voltosi ad un gentiluomo ch'egli conosceva per filosofo peripatetico, e per la presenza del quale egli aveva con estraordinaria diligenza scoperto e mostrato il tutto, gli domandò s'ei restava ben pago e sicuro, l'origine dei nervi venir dal cervello e non dal cuore ; al quale il filosofo, dopo essere stato alquanto sopra di se, rispose : Voi mi avete fatto veder questa cosa talmente aperta e sensata, che quando il testo di Aristotile non fusse in contrario, che apertamente dice, i nervi nascer dal cuore, bisognerebbe per forza confessarla per vera. » (Galileo Galilei, *Opere*, Firenze, Barbera, 1890 ss. VII, 133-4.)

Pro Bessarione, resistentia quaelibet ad platonicam scholam, manifesta erat relate ad Patres oppositio, et Picus Mirandulensis, iuxta quem platonicorum doctrina inter omnes philosophias habita est sanctissima : in Plotino, ait, primum quicquam non est quod admireris, qui se undique praebet admirandum, quem de divinis divine, de humanis longe supra hominem, docta sermonis obliquitate loquentem, sudantes platonici vix intellegunt.

Tertium vitium usus venerat Dialecticae nimius, cuius utentes adminiculo non modo veterum dicta tuebantur, sed et quaecumque quis imaginabatur defendebant. In quo, ni multum fallor, maximum hac aetate influxum opera Raimundi Lulii habuere : haec enim, complures eius temporis nacta commentatores, prae manibus omnium exstiterunt. Porro de illo Cornelius Agrippa iam notarat : Invenit Raymundus Lulius, recentioribus temporibus, dialecticae haud absimilem prodigiosam artem, per quam, tamquam olim Georgias Leontinus (qui primus in conventu litteratorum hominum poscere ausus est, qua de re quisque audire vellet), de quovis subiecto sermone abunde quis valeat disserere, atque invenire quadam artificiosa nominum ac verborum perturbatione, atque in utramque partem de omni sermone curioso hoc plusquam eleganti artificio garrula loquacitatis ostentatione disputare, neque ullum vincendi locum aliis relinquere, et res minutissimas et pusillas in immensum dilatare. Sed haec altius repetere non est necesse : nos ampla satis commentaria in hanc artem dedimus alibi ; verum nolo haec alicui fucum faciant in artificio admodum levi, quod etsi eisdem extollere visi sumus, tamen res ipsa palam se faciet, ut opus non sit circa hanc magnopere depugnare. Hoc autem

admonere vos oportet, hanc artem ad pompam ingenii et doctrinae ostentationem potius quam ad comparandam eruditionem valere, ac longe plus habere audaciae quam efficaciae.

Unde Bacon : Sicut scientiae, ait, quae nunc habentur, inutiles sunt ad inventionem operum : ita et logica, quae nunc habetur, inutilis est ad inventionem scientiarum. Sanchez quoque : Logica, habet, scientia est solummodo verborum

Improbabatur demum conceptuum maxime confusorum adhibitio.

Nec aliud iam sperare licebat ab iis qui, toti scientiis physicalibus et mathematicis dediti, tot ideas et nomina, axiomata pariter apud veteres deprehendebant, quorum unus videbatur finis, auctorum ignorantiam obumbrare. Evenit igitur ut quae super quatuor elementorum theoriam dicebantur, quae de materia et forma, quae de notionibus communibus, quae de axiomatibus receptis, profanis oculis vel inepta apparerent, vel sine rerum habita ratione inconsulte dicta. Recentior etiam Astronomia antiquiorum systematum victrix, scandalum quoque praebuit : veteres sensibus institerunt, nec super externas apparientias sunt evecti : at sensus nostri organa imperfectissima sunt, ut declarabat eventus, quibus tamen antiqui omnes nitebantur quorum effatum fuerat : nihil esse in intellectu quod prius non fuerit in sensu. Hinc Bacon : In notionibus, ait, nil sani est, nec in logica, nec in physicis ; non substantia, non qualitas, agere, pati, ipsum esse, bonae notiones sunt, multo minus grave, leve ; densum, tenue, humidum, siccum : generatio, corruptio : attrahere, fugare, elementum, materia, forma, et id genus, sed omnes phantasticae et male terminatae.

* * *

Restabat igitur, ut loquitur ipsemet, ut res de integro tentaretur melioribus praesidiis : utque fieret scientiarum et artium atque omnis humanae doctrinae in universum Instauratio a debitis excitata fundamentis.

Atque explodatur in primis veterum auctoritas.

Petrus Ramus, in Dissertatione quam pro doctoris laurea in universitate Parisiensi defendendam susceperat, quicquid a Stagirita dictum venerat pro falso iam habendum propugnabat. Nicolaus Cusanus, Telesius, Copernicus, Bruno, Campanella et Bacon directores pariter sunt eiusdem generalis commotionis. Cum postremus clamabat : Citetur Aristoteles, pessimus sophista ; citetur iam Plato, theologus mente captus, etc., una licet voce, omnium sententiam exprimebat. Contendere, ait Galileus, opiniones veteres et inveteratas omnium optimas esse, iniustum valde videtur : sicuti enim cuiuslibet hominis postremae veniunt prudentiores sententiae, cui annis iudicium acrescit, sic et quod ad genus humanum ultimae opiniones magis ad veritatem erunt conformes. Sapientia, clamabat Leonardus a Vinci, filia est experientiae, ac propterea temporis fetus.

Nec huiusmodi praestantiae argumenta defuerunt. Tunc temporis Colon, Copernicus et Kepler, Servet, Vesale et Laguna, Tartaglia, Cardanus et Viete viguerant : complures cum illis fuerant conversati, atque in ore omnium perstabat adhuc pro tot explorationibus gratiae laus.

Picus Mirandulensis, anno aetatis undevicesimo doctos universos Romam, itineris sumptus suggerens, invitat, quo nongentas theses *De Omni Scibili* propugnare cogitabat.

Ad quid, ait Bruno, continuo auctoritatem invocare ? Inter Platonem et Aristotelem quis dirimet ?

Antiqui sumus nos : sapientia nostra prae veterum longe excellit !

Pari modo separatio fit inter fidem et scientiam.

Ponens Pomponatius verum secundum dogmata quod falsum evincitur ratione, duplicem admiserat veritatem : at eidem Bruno tribuens in philosophicis a theologicis alteram explanationem, non verum duplex, sed duplicem manifestationem proclamat. Galileus infimum dicit in naturalibus locum Sacris Litteris tribuendum : alii, Inquisitionis manus pertimescentes, ad sensus spiritualis sinum confugiunt. In quibus extrema haec non fit distinctio vindex, passim repente prodit timor quo vincuntur. Sit in documentum pulchra Baconis prae opere deprecatio : Quamobrem, cum haec arbitrii nostri non sint, in principio Operis ad Deum Patrem, Deum Verbum, Deum Spiritum, preces fundimus humillimas et ardentissimas, ut humani generis aerumnarum memor, et peregrinationis istius vitae, in qua dies paucos et malos terimus, novis suis Eleemosynis, per manus nostras, familiam humanam dotare dignetur. Atque illud insuper supplices rogamus, ne humana divinis officiant ; neve ex reseratione viarum sensus et accensione maioris luminis naturalis, aliquid incredulitatis et noctis animis nostris erga divina mysteria oboriatur : sed potius, ut ab intellectu puro, a phantasiis et vanitate repurgato, et divinis oraculis nihilominus subdito et prorsus dedititio, fidei dentur quae fidei sunt. Postremo, ut Scientiae veneno a Serpente infuso, quo animus humanus tumet et inflatur, deposito, nec altum sapiamus, nec ultra sobrium, sed veritatem in caritate colamus.

Logica ad Rethoricam iam a Laurentio Valla redigitur, et post eum communiter a ceteris : illius praecepta ad veritatem semel detectam demonstrandam inserviunt, sed minime ad primo detegendam.

Mihi videtur, ait Galileus, Logicam, sive factos discursus sive allatas demonstrationes, utrum sufficienter concludant ostendere : minime autem docere quo modo et discursus et demonstrationes sint inveniendae. Nec prius intellectui leges assigandae sunt, quam naturales impetus ipse per longum tempus sequatur. Ratio natura, nec natura ratione, aiebat Bruno, moderanda. Neque enim alio modo, ut dicebat Ramus, ceterae inventae sunt atque efformatae artes vel scientiae. Principio igitur, habet Bacon, modus quo veritatem mens consequitur explorandus, postea eius praecepta terminanda.

Ideo processui a priori methodus a posteriori substituitur : deductioni inductio succedit. Ab universali ad particulare descensus veritatem iam inventam ac firmam supponit quam invenire et firmare mens quaerit. Hac via errores plurimos veteres philosophi, vel vulgares, admiserant, multaque pro certis habuerant, quae tunc temporis a nova philosophia falsa vel dubia erant comperta.

Atque inductio illa, quae praecipuum tunc temporis in scientiis physicalibus obtinuit locum, ad philosophicas est quoque translata : non ab universalibus sed a particularibus incipiendum, non a conceptibus sed a conscientia et a sensibus. Stultum est, aiebat Galileus, aliam quaerere philosophiam, quae prae experientia et oculis nostris veritatem detegat. Ex quo influxus maximus qui ortus est experientiae psychologicae. Nulla cognitio exterior valet (propugnabat Sanchez) interiorem aequare cognitionem : interni affectus et operationes notam peculiarem veritatis afferunt, quam

sensus externi non valent exhibere. Certior sum de mea cogitatione, de meo appetitu, de mea volitione, quam de ceteris, quae veluti extra me, sensus externi denuntiant. Campanella quoque hanc viam sequendam praedicabat dum obiectivitatem sensuum posse negari aiebat, at non perceptiones ipsas ut sunt phenomena conscientiae : sceptici infitientur, si velint, nostrarum affectionum quaelibet obiecta, conscientiam autem in qua recipiuntur, nullo prorsus conatu renuere obtinebunt. Mihi, post Augustinum, me esse, idque nosse et amare, certissimum est : nec ullum rationum Academicorum contra agnosco momentum : quid si falleris ? Si enim fallor, sum : nam qui non est, utique nec falli potest : ac per hoc praecise sum, semel si fallor.

Explodantur pariter steriles illae notiones atque confusae. Ut errores, scribit Bacon, qui invaluerunt, quique in aeternum invalituri sunt, alii post alios ipsi se corrigerent, vel ex vi intellectus propria, vel ex auxiliis atque adminiculis Dialecticae, nulla prorsus suberat spes, propterea quod notiones rerum primae, quas mens haustu facili et supino excipit, recondit atque accumulat (unde reliqua omnia fluunt), vitiosae sint et confusae et temere a rebus abstractae ; neque minor sit in secundis et reliquis libido et inconstantia. Ex quo fit ut universa ista ratio humana, qua utimur quoad inquisitionem naturae, non bene congesta et aedificata sit, sed tamquam moles aliqua magnifica sine fundamento.

Ex illo nunc igitur, sensuum perceptionibus non commissi, ideas claras atque distinctas, quae solius intellectus sunt, omnes persequuntur.

In quarum explanationem non amplius inveteratam sectantur methodum, quae a fallaciis philosophorum non satis elongat, sed novam quae in progressu perfi-

ciendo maximi praestat argumenti : haec nova methodus est methodus mathematica. Mathematicae disciplinae, ait Cusanus, omnium disciplinarum forma sunt et exemplar. Nonne profiteri oportet, habet Galileus, pro ingeniis acuendis atque in verum disponendis apud mathematicas scientias virtutem esse maximam ? Nam licet pauca admodum attingantur, non minorem de iis attingimus certitudinem quam ipsemet attingat Deus [1]. Nec est demum par scientia vel ars, quae illa magis praestet pro sophismatibus in philosophicis detegendis.

An obicietur aliam a mathematica Philosophiam esse scientiam ? Sed quem ad modum intellectus est unus qui attingit, ita una est veritas, una certitudo. Una est scientiarum arbor, ait Bacon, diversi licet rami. Et Galileus : Poesim discet qui poetas continuo leget ; picturam, qui se in delineando et depingendo continuo exercet ; demonstrationes autem, qui libros mathematicorum assidue pervolvet.

His igitur adiumentis, quae habiti progressus offerebant, temporis omnes philosophi instaurationem

[1] « L'intendere si può pigliare in due modi, cioè *intensive* o vero *extensive ;* che *extensive*, cioè quanto alla moltitudine degli intellegibili, che sono infiniti, l'intender umano è come nullo, quando bene egli intendesse mille proporzioni, perchè mille rispetto alla infinità è come un zero ; ma pigliando l'intendere *intensive*, in quanto cotal termine importa intensivamente, cioè perfettamente, alcuna proporzione, dico che l'intelletto umano ne intende alcune così perfettamente, e ne ha così assoluta certezza, quanto se n' abbi l' istessa natura ; e tali sono le scienze matematiche pure, cioè la geometria e l'aritmetica, delle quali l' intelletto divino ne sà bene infinite proporzioni di più, perchè le sà tutte, ma di quelle poche intese dall' intelletto umano credo che la cognizione agguagli la divina nella certezza objettiva... » (Galileo, *Opere*, VII, 128-9.)

assumere atque perficere cogitarunt, ac nec unum quidem alicuius notae invenire est, qui et scopum eumdem et media eadem non sit aggressus.

* * *

Sed prae omni aedificatione, prae omni opere opportunum sumendum initium.

Quodnam autem hoc fuerit, in exordiis scientificae restaurationis non latuit opificibus. Errores radicales et in prima digestione mentis, observat Bacon, ab excellentia functionum et remediorum sequentium non curantur, et frustra magnum expectatur augmentum in Scientiis ex superindutione et inquisitione novorum super vetera ; sed instauratio facienda est ab imis fundamentis, nisi libeat perpetuo circumvolvi in Orbem, cum exili et quasi contemnendo progressu.

Nihil ergo valeret aedificium diruere ut supra ipsammet basim, licet diversa methodo, superstrueretur : quia fortassis basis ipsa vitio radicali laborat. Et praeterea intellectus humanus, ut ipse scribit, in iis quae semel placuerunt (aut quia recepta sunt et credita, aut quia delectant) alia etiam omnia trahit ad suffragationem et consensum cum illis : et licet maior sit instantiarum vis et copia quae occurrunt in contrarium, tamen eas aut non observat, aut contemnit, aut distinguendo submovet et reicit, non sine magno et pernicioso praeiudicio quo prioribus illis Syllepsibus auctoritas maneat inviolata. Ideo concludit : Idola et Notiones falsae quae intellectum humanum iam occuparunt, atque in eo alte haerent, non solum mentes hominum ita obsident, ut veritati aditus difficilis pateat ; sed etiam dato et concesso aditu, illa rursus in ipsa instauratione Scientiarum occurrent et molesta erunt ; nisi homines praemoniti, adversus ea se, quantum fieri potest, muniant.

Sed laboriosum est vel impossibile omnino ipsorum, quae semel pro veris admisimus, quaeque nullius in nova instauratione esse debent impedimenti, plane, ut opus esset, oblivisci. Restat igitur ut mens illa omnia, quae recepit, pro dubiis vel incertis statuat, nec ipsis maiorem praebeat fidem, quam si falsa vel incerta comperisset. Qui nova vult, aiebat Rethicus, explorare, summa libertate indiget. Quapropter ante opus, animus reddatur undequaque liber (Kepler).

Ideo methodica dubitatio tanti iam est momenti apud novatores : Campanella ipsam constituit veluti certitudinis basim, et Bruno non semel habitus est quasi dubii cartesiani creditor. Manifestum satis est, inquit Galileus, dubitationem in philosophicis parere inventionem et veritati detegendae optime inservire.

* * *

Rebus ita compositis, advenit Cartesius.

Saeculi spiritui, prout ceteri omnes, non alienus, et ipse conatus est scientias instaurare, et iisdem manum admovit instrumentis. Nihil, inquit, in philosophicis certum, nihil hactenus inconcussum : et cum reliquae scientiae ab illis principia mutuentur, unum iam superest, ut nova nempe aedificatio tentetur. Longe fiat veterum iam inveterata auctoritas ; procul a fide iam ratio seponatur ; nullius artem syllogisticam et processum a priori Scholasticorum faciendum ; conceptus quoque confusi et vetus methodus reicienda. In eorum locum veniat intellectus melioris saeculi et magis, propter experientiam maiorem, sapientiae consecutus ; veniat intellectus purus et ab omni regularum sarcina liber ; non ab universali ad particulare sed a particulari ad universale, ut in qualibet inquisitione procedendum est, surgamus ; veniat psychologica expe-

rientia ; veniant conceptus clari atque evidentes, et nihil pro vero admittamus praeter id quod clare percipimus et distincte ; veniat mathematica methodus, quae ceteris efficacia et certitudine longe praestat.

At praecedat quoque, ne in vacuum laborare perseveremus, omnium quae hactenus admisimus dubitatio : qua mediante et illorum caveamus, quae antea novimus, influxum, et ad nova, quae usque in diem nos fugerant, detegenda incendamur.

* * *

Postremum unum dubitationis punctum, huius est operis argumentum. Ubi iam prima specie fit clarum qua ipsa a scepticorum dubio ponatur distantia. « Nec tamen in eo, fatetur Cartesius, Scepticos imitabar, qui dubitant tantum ut dubitent, et praeter incertitudinem ipsam nihil quaerunt. Nam contra totus in eo eram ut aliquid certi reperirem » [1]. Pro Cartesio, quem ad modum vidimus pro ceteris, dubium non est philosophandi intentum, verum initium ; non scopus, sed medium ; in eius animo provisorium est, definitivum, vel absolutum non est. De reliquo ipse primi operis titulus clare demonstrat : *Dissertatio de Methodo recte utendi ratione et veritatem in scientiis investigandi.*

Propter quam auctoris intentionem et dubii scopum *Dubium Methodicum* venit postea ab adseclis nuncupatum.

Methodus enim viam subaudit brevem et expeditam ad aliquem finem obtinendum : porro brevitatis et

[1] Descartes, *De Methodo*, pars. III (*Œuvres*, éd. Adam-Tannery, Paris, Cerf, 1897–1913, vol. VI, p. 556). — Optimam hanc editionem, ad quam ubique remittimus, decursu operis litteris AT. significamus.

expeditioris scientifici progressus gratia dubitatio Cartesiana instituta fuerat.

At duo hic sunt quam maxime notanda : unum scilicet quod de methodo agitur in scientiis adhibenda ; aliud quod methodus haec directe et immediate ad unam scientiarum inventionem refertur.

Et in primis agitur, inquam, de dubio in scientiis pro methodo adhibendo : non quidem quod de se dubium possit in certitudinem quamlibet ducere, cum sit certitudini contrarium, sed hoc exclusive sensu, quod, removens prohibens, ut aiunt, ad veritatem disponit.

Sed aliud veritas in communi, aliud veritas scientifica connotat. Dubium igitur quod singulari deserviret inveniendo vero, in efformandam sustinendamque scientiam, sterile forsan atque infructuosum reperitur. Nam quaedam alia super nudam veritatem exigit scientia, quippe quae non propositionem individuam nominat, at plurium nexu mutuo et logico iunctarum conflatur societate. Dubium methodicum vult propterea ut veritates illae, ad quas ducit, aliarum origo sint et principium quasi fontale. Poscit adhuc ut in iis, quae logice consequuntur, non illogice procedatur. Ex quibus elucet dubitationem quae ad singularem et sterilem conduceret veritatem, contra primam peccare condicionem ; in alteram vero, si ad veritatem quidem ducat fecundam, rationem autem sumat vel fundamentum quod vi sua atque natura eamdem destrueret, ad quam ordinatur, scientiam.

Sed quaestio agitatur secundo de methodo in scientiis ad veritatem inveniendam. Quod plures reprehensores non adverterunt satis.

Una namque veritas ab alia quoad certitudinem et

evidentiam duplici methodo procedere valet : illa, scilicet, qua cognitis semel artis vel scientiae legibus ut eas sequamur, si iuxta artem vel scientiam agere velimus, admonemur ; et illa quae in ipsis legibus inveniendis primo conducit.

Priori utimur dum Oratoriae, Architectonicae, Bellicae vel Logicae vacamus, quarum praeceptis obtemperantes perfectionem confidimus adepturos. Propterea methodus sive *doctrinae*, sive *deductionis* quia universales leges ad particulares casus applicat, sive *demonstrationis*, vel *synthetica* nominatur.

Altera vero, quae *analytica* dicitur, usi sunt qui primi constituerunt artes et scientias. Sic de oratoria Cicero : « Ego, inquit, hanc viam intellego esse in praeceptis omnibus, non ut ea secuti oratores, eloquentiae laudem sint adepti, sed, quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse, atque id egisse : sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum. » Ita pariter qui architectonicam, qui bellicam, qui logicam artem invenere : observarunt primo quando bene, quando minus bene, quandoque male, lapidum teneret constructio, faveret aut adversaretur dimicatio, rationem verum consecutam vel in errorem praecipitem ire ; hisque nixi particularibus ac repetitis animadversionibus, regulas seu normas generales delegere in commoditatem et profectum uniuscuiusque disciplinae sequendas. Propterea methodus *inventionis*, vel *inductiva* etiam appellatur.

* * *

Quibus omnibus positis, ad tractationem demum accedo. Ordinem ipsa materia indicat sequendum. Quid, primo, Cartesium ad dubitandum duxerit, ut scopum inspiciamus ; quo pacto, postea, in ipsa appli-

canda dubitatione procederet, ut ipsum ad opus deditum videamus ; tertio, quaenam dubitationis sint peculiares dotes, ut eius naturam obiective detegamus ; denique quinam eius exitus, propterea quod, teste eodem Tullio, « nec modus est ullus investigandi verum, nisi inveneris ».

In iis profecto maiori, qua potuimus, diluciditate exponendis ipsius Cartesii litteram perpetuo, fideliter et obsequiose sumus secuti : ubi eius defuerunt verba, adduximus doctrinam ; ubi desiderantur argumenta, ex aliis eius locis probationes hausimus. Quia non semel eius mens obscura manet, et in contrarias una ferri videtur partes, sententiam illam amplexati sumus quae et dignitati et spiritui auctoris magis consectanea videbatur.

Accedit demum explanati dubii censura, ubi quidnam et de proposito et de mediis a Cartesio in scientiarum instauratione adhibitis sit, nostro iudicio, sentiendum, rationibus, ut decebat in comprobationem allatis, dicimus.

Superest tandem ut grates maximas praeclaro Magistro Montagne, operis curatori, referamus, ceterisque una, quot in his properandis lineamentis aliquam partem habuere.

Scribebam Friburgi Helv., Cal. Iunii anni MCMXVIII.

CAPUT I

Dubii Cartesiani positio.

I

Cartesii perpetuum veritatis studium.

In lapideo sepulcri monumento, quo Cartesii cineres, primo abhinc saeculo, Parisiis apud Sanctum Germanum *des-Prés* conduntur, sequens legitur funebre epigramma : « Memoriae Renati Descartes reconditioris doctrinae laude et ingenii subtilitate praecellentissimi, qui, primus a renovatis in Europa bonarum litterarum studiis, rationis humanae iura, salva fidei christianae auctoritate, vindicavit et asseruit, nunc veritatis quam unice coluit conspectu fruitur » [1].

Ante illud praecipui huius temporis docti alii post alios transierunt : quorum si expetamus sententiam, a nonnullis insignis ingenii atque inventoris praeconio frustra prosequi ; a pluribus fidei et humanae rationis falso mutui dici vindicatorem et assertorem foederis ; a nemine autem postremae laudi suffragium denegari comperiemus : universali quippe et communi amicorum sive et extraneorum plausu, Cartesii vitae praescribi posset : *Veritati sacra.*

[1] Bouillier, *Hist. de la philos. cartésienne*. Paris, Delagrave 1868, vol. I, p. 60.

Annum enim agens tertium et tricesimum in Hollandiam otii melioris gratia secessit, subsequens tempus sive magnas civitates, animo ad maiora intento, peregrinans [1] sive minus celebratos pagos, studio plane deditus, inhabitans, caelebs et quasi occultus, ut totus atque unice veritati incumberet quam cupiverat [2], illi fidus quam sententiam perpetuo tenuit : *Bene vixit, qui bene latuit.*

In hoc recessu veritati, ceteris curis absolutus, unice vacabat, cuius amantissimus effectus erat : nihil praeter eius studium in bonis ducens, cuius in exitu

[1] Die 5 maii ann. 1631. Cartesius scribebat Balzaco : « Ie me vais promener tous les iours parmy la confusion d'un grand peuple (à Amsterdam), avec autant de liberté & de repos que vous sçauriez faire dans vos allées, & ie n'y considere pas autrement les hommes que i'y voy, que ie ferois les arbres qui se rencontrent en vos forests, ou les animaux qui y paissent. Le bruit mesme de leur tracas n'interromt pas plus mes réveries, que feroit celuy de quelque ruisseau... ». (AT. I, 203.)

[2] « Il avoit recherché, scribit Baillet, une jeune Demoiselle de naissance & de beaucoup de mérite, laquelle a été depuis fort connuë dans le monde sous le nom de Madame du Rosay. Cette Dame n'a point fait difficulté d'avoüer dans la suite que la Philosophie avoit eû plus de charmes qu'elle pour M. Descartes ; & qu'encore qu'elle ne luy parût pas laide, il luy avoit dit, pour toute galanterie, *qu'il ne trouvoit point de beautez comparables à celles de la Vérité.* Selon ce que la Dame dit un jour au Pére P..., nôtre Philosophe encore jeune s'étant trouvé dans une compagnie des personnes enjcüées, y discourut longtêms sur les engagemens que l'on prend avec les femmes. Aprés avoir marqué à la compagnie l'étonnement où il étoit de voir tant de duppes, il assûra qu'il n'en avoit pas encore été touché jusques-là, & que sa propre expérience (pour ne pas dire la délicatesse de son goût) luy faisoit mettre *une belle femme, un bon livre, & un parfait prédicateur* au nombre des choses les plus difficiles à trouver de ce monde ». (Baillet, *La vie de Mons. Des-Cartes*, II, 501. Paris, Horteмels, 1691.)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

maxima replebatur voluptate [1] : illinc ut de quibuslibet apud doctos agitatis redderetur certior ab amicis, a Mersenne praecipue, efflagitabat [2] ; cum praeclarioribus saeculi eruditis consuetudinem agebat, de horum factus lucubrationibus particeps, ipsis quantum postulabant vel indigebant se praebens adiutorem, ab illis quoque quantum indiguerit vel postularet ipse iuvandus.

Et cum tale fuerit studium in veritate conquirenda, maximum fuit in tradenda oblectamentum. Quaedam vulgari idiomate in cuiuslibet usum conscripsit, quaedam latino sermone in provectorum institutum ; modo didactica methodo ut studentibus deserviret, modo familiari dicendi genere ut scriptorum quaesitis respon deret. E servo doctorem facit : regiam virginem sapien-

[1] « L'amour de l'étude et de la réflexion, auquel il fut fidèle toute sa vie et qui, lorsque des idées nouvelles illuminaient son esprit, pouvait parfois s'élever jusqu'à la ferveur et à l'enthousiasme, tel était le plus important et le plus beau trait de sa nature. » (Höffding, *Hist. de la philosophie moderne*, I, 225, Paris, Alcan, 1906).

[2] « Au fond de sa retraite, par l'intermédiaire du père Mersenne, son condisciple au collège de La Flèche et le plus ancien de ses amis, il est averti de ce qui se passe entre les savants de tous les pays, il ne demeure étranger à aucune découverte, ni à aucune recherche. Mersenne, que le père Rapin appelait le résident de M. Descartes à Paris, lui transmet les problèmes, les objections des mathématiciens, des philosophes et des théologiens, et reçoit ses réponses et ses solutions. Mais, entraîné par une ardente curiosité scientifique, ne se borne pas à transmettre les objections, lui-même il les provoque, il met aux prises les amours-propres, il excite des rivalités, il échange, avec un zèle que Descartes dut quelquefois modérer, de vrais cartels scientifiques, afin de débarrasser, disait-il, les discussions de ces ménagements réciproques qui peuvent porter préjudice à la vérité. Il avait, dit Baillet, un talent particulier pour commettre les savants entre eux et pour prolonger les disputes qu'il avait excitées. » (Bouillier, *op. l.*, I., 38-39.)

tiae nimbo decorat : atque apud Reginam magister arcessitus immatura morte decedit, scientiae et doctrinae palmam quasi martyrii consecutus.

Nec ferventem hunc veritatis cultum putet quis provectae aetati dotem fuisse peculiarem : scimus etenim ipsi adhuc puerulo propter assiduas, quas rogitabat quaestiones, philosophi nomen a patre iniunctum ; atque insatiabili veri cupiditate fuisse inde ab incunabulis accensum apud historicos omnes perhibetur.

II

Cartesii pro veritate suscepti in iuventute labores.

Bonae huius voluntatis lectionum crebritas primum praestat argumentum. Octavo aetatis anno fere peracto Iesuitarum Collegium ingreditur, ubi principio Grammaticae, Rhetoricae, Ethicae, iuxta morem, dein Logicae, Mathematicae, Physicae, Metaphysicae demum studiis vacavit [1]. Sedulitatem et industriam necnon ingenium et propria confessio et scriptorum quam maxime testimonium commendat. Propter corporis nactam glacilitatem assueto diutius quiescere permissus, ut vellet, quod superarat dormitionis tempus in lecto manens meditationibus consecrabat [2] ; summam studiorum voluptatem, non in audiendis aliorum rationibus,

[1] ADAM, *Vie & Œuvres de Descartes*. Supp. à l'édition de Descartes. Paris, Cerf, 1910, pag. 21 ss. — HAMELIN, *Le système de Descartes*. Paris, Alcan, 1911, p. 13 ss.

[2] « Il garda toute sa vie l'habitude d'étudier et même d'écrire dans son lit après le repos de la nuit. Et il dormait le plus longtemps qu'il pouvait. Il recommanda toujours une certaine paresse, jointe à un travail modéré, mais régulier, comme nécessaire à la production intellectuelle. » (FOUILLÉE, *Descartes*, Paris, Hachette, 1893, p. 8.) Cf. BAILLET, I, 152-154.

sed in iisdem propria industria inveniendis ponebat [1], unde propriam, qua non semel magistros ipsos in angustias egit, argumentandi rationem efformaverat [2].

Ingenii quoque momentum facit et omnimoda ferme fiducia quam in illo magistri posuerunt, vi cuius praeter libros ceteris studiosis oblatos alios communiter impermissos praebuerunt [3], et bona, quam ipsi semper servaverunt, voluntas, qua temporibus secundis magno fuit honore, data occasione, celebratus [4], et fortuna duriore conflictato numquam inimicitias denuntiarunt [5]. Ipse quoque nullam omisit opportu-

[1] « Eo me fateor natum esse ingenio, ut summam studiorum voluptatem, non in audiendis aliorum rationibus, sed in iisdem propria industria inveniendis semper posuerim ; quod me unum cum iuvenem adhuc ad scientias addiscendas allexisset, quoties novum inventum aliquis liber pollicebatur in titulo, antequam ulterius legerem, experiebar utrum forte aliquid simile per ingenitam quamdam sagacitatem assequerer, cavebamque exacte ne mihi hanc oblectationem innocuam festina lectio praeriperet. » (*Regulae ad directionem ingenii*. Reg. X. — AT. X, 403.)

[2] Baillet, *op. l.*, II, 483-4.

[3] *De Methodo, I.* (AT., VI, 542.) — Adam, *Vie &c.* 31.

[4] « Pendant qu'il étoit en cette derniére ville (à Poitiers), on vint prier M. le Vasseur de vouloir honorer une thése de sa présence dans le collége des Jésuites. M. le Vasseur convia M. Descartes de vouloir l'y accompagner : ce qu'il fit avec plaisir, quoy qu'il fût déja en réputation de ne pas estimer la scolastique, ou la maniére dont les Péripatéticiens traitent la Philosophie. Il voulut disputer même à la thése, & les Jésuites se tinrent tellement honorez de la manière dont il en usa dans un discours latin qu'il fit d'abord, & dans ses argumens, que le Pére Recteur députa le lendemain deux Péres de la Compagnie pour l'aller remercier. » (Baillet, I, 136.)

[5] « En 1641, ses *Méditations* parurent avec une préface à la Sorbonne ; en 1642, il y joignit, en guise de postface, une lettre au P. Dinet, devenu provincial de France : il le met presque en demeure de faire enseigner sa physique nouvelle, au moins sa nouvelle doctrine des météores. On ne lui répond

nitatem gratum suum erga hosce animum declarandi : praeceptorem ut « alterum patrem » semper reputat, magistros « doctos viros » praedicat et Collegium unam ex Europae scholis celeberrimis dicit, immo nec alii cuilibet minus commendabilem et, quod pluris est, nulli tunc temporis secundam [1].

Scientiae igitur cupidissimus, omnia quibus alii ibidem imbuebantur attinxit ; nec hisce contentus libros quoscumque, qui ad manus inciderunt, pervolvit [2].

* * *

Maximi proculdubio foret, ut Cartesii ab his iam diebus sequeremur vestigia, sive praelectionum, quae tradebantur, notas, sive libros quoslibet, qui aut inter scholares omnes circumvolvebantur aut uni Cartesio concessi fuere, plena notitia comperire : hoc enim pacto et quid ab aliis acceperit et quale scientiae temporis tributum attulerit ipse nosceremus. Sed instrumentorum quae exstant, quaeque nobis prae manibus fuerunt rationem servantes, aristotelicam Philosophiam, quae sive ex ipsis Stagiritae operibus hauriebatur, sive ex melioribus eius inter Iesuitas commentatoribus primo ibi traditam scimus. Ipse Cartesius librorum *De Anima* mentionem facit [3], et praeter Toletum ac Fonsecam,

pas officiellement ; mais ce fait même de ne pas lui répondre, prouve qu'on gardait des ménagements et qu'on ne voulait pas rompre avec lui. L'écolier faisait honneur à ses anciens maîtres, qui avaient toujours pour lui quelque tendresse. » (ADAM, 33.)

[1] Cf. *Lettres*, 9 fevr. 1654 et 12 sept. 1638. (AT. IV, 156 et II, 378). — *De Meth. I.* (AT. VI, 542). — Cf. etiam ADAM, 19.

[2] *De Meth.* I. (AT. VI, 542.)

[3] *Lettres*, 13 sept. 1637. (AT. I, 404.) — IV. *Responsiones* (AT. VII, 251).

in logicis duces [1], Metaphysicam Suarezii, cursum Collegii Conimbricensis, Gregorium de Valentia, enchiridia Rubii et Eustachii a Sancto Paulo perlegisse accepimus [2]. His in libris ea quae communiter et nunc apud Scholasticos tractata veniunt et tunc inveniri necessum erat : ibi animam non tantum ut nauta adest navigio adesse corpori, sed illi arctis ime esse coniunctam et adeo permixtam ut quid unum cum illo componat, didicit [3] : ibi substantiam de Deo et creaturis non univoce sed analogice praedicari [4] : ibi conservationem continuam creationem re esse [5], communique theologorum sententia sustineri [6]. Haud dissimiliter, auctorum forsan praetermisso nomine, et argumentum Sancti Anselmi pro Dei exsistentia ex ipsamet huius idea eruenda, et Augustini pro nostra ibidem reperiebatur e cogitatione demonstranda : alia etiam plura quibus in scriptis Cartesius passim alludit, quaeque longum esset omnia referre.

Inter cetera quae tunc indubitanter cognovit opera, Petri Lombardi Sententiae, S. Thomae Aquinatis Summa Theologica, Raimundi Lulii Ars Magna et Cornelli Aggripae : *De incertitudine scientiarum declamatio*, veniunt praecipue recensenda [7].

E Collegio Iesuitarum anno 1612 egressus, studiis iuris ac medicinae post aliquod tempus se accinxit.

[1] Hamelin, *op. l.*, 14.

[2] Cf. IV *Resp.* (AT. VII, 235) ; *Lettres*, 30 sept. 1640, décemb. 1640 et 21 janvier 1641. (AT. III, 185, 260, 286), atque *Epist. ad Voetium*. (AT. VIII B, 176.)

[3] VI *Medit.* (AT. VII, 81.)

[4] *Princ. Philos.* pars I, n. 51. (AT. VIII, 24.)

[5] III *Medit.* (AT. VII, 49.)

[6] *De Meth.* V. (AT. VI, 565.)

[7] Cf. VI *Resp.* (AT. VII, 428) ; I *Resp.* (id. 114) ; *Lettres*, 25 déc. 1639. (AT. II, 630) et Adam, *Vie &c.*, 31.

Anno autem 1618, ubi primum ei licuit per aetatem e praeceptorum custodia exire, litterarum studia reliquit [1]. Sed non ideo quod pristinus decreverit sciendi cultus, sed quia, capto secum consilio, aetatis more, nullam in posterum quaerere scientiam statuit, praeter illam quam vel in seipso vel in vasto mundi volumine posset reperire [2]. Nec propterea putandum nullos amplius tunc etiam temporis libros pervolvisse : ex eius etenim testimonio circa ann. 1623 quaedam opera Campanellae novit [3], atque eius cum Montaigne et Charron familiaritatis origo probabilius numeratur inde. Insequentes tamen annos speciali modo variis peregrinationibus impendens, in Hollandiam adventans, in exercitu Mauritii de Nassau primo militiae nomen dedit ; postea Germaniam, Poloniam, Hungariam peragrans, Francofurti Imperatoris Ferdinandi inaugurationi adest.

Sed fuit tot itinerum ratio pristinus quem semper tenuit veritatis cultus. « Idem fere est (refert ipse) agere cum viris prisci aevi, quod apud exteras gentes peregrinari. Expedit aliquid nosse de moribus aliorum populorum, ut incorruptius de nostris iudicemus ; nec quidquid ab iis abludit statim pro ridiculo atque inepto habeamus, ut solent ii qui nunquam ex natali solo discesserunt » [4]. Et postea : « Interea temporis, scribit, exercitus, urbes, aulasque exterorum Principum invisendo, cum hominibus diverscrum morum et ordinis conversando, varia hinc inde experimenta colligendo, et meipsum in diversis fortunae casibus probando, sic ad omnia quae in vita occurrebant attendebam, ut nihil

[1] *De Meth.* I. (AT. VI, 544.)
[2] *l. c.* (AT. VI, 544-5).
[3] *Lettres*, mars 1638. (AT. II, 47-48.)
[4] *De Meth.* I. (AT. VI, 543.)

ex quo eruditior fieri possem mihi viderer omittere. Quippe multo plus veritatis inveniri arbitrabar in iis ratiocinationibus, quibus singuli homines ad sua negotia utuntur, et quorum malo successu paulo post puniri solent, quum non recte iudicarunt, quam in iis quas doctor aliquis, otiosus in Museo sedens, excogitavit circa entia rationis aut similia quae ad usum vitae nihil iuvant ; et ex quibus nihil aliud expectat nisi forte quod tanto plus inanis gloriae sit habiturus quo illae a veritate et sensu communi erunt remotiores ; quia nempe tanto plus ingenii atque industriae ad eas verisimiles reddendas debuerit impendere [1]. Ac semper scientiam verum a falso dignoscendi summo studio quaerebam, ut rectum iter vitae clarius viderem et maiori cum securitate persequerer » [2].

Studio librorum atque hominum adiunxit Cartesius studium sui. « Postquam sic aliquandiu (narrat ipse) quidnam in mundo ab aliis ageretur inspexissem, et nonnulla inde experimenta collegissem, semel etiam mihi proposui serio meipsum examinare, et omni ingenii vi quidnam a me optimum fieri posset inquirere. Quod foelicius, ut opinor, mihi successit, quam si prius nec a patria nec a scholasticis studiis unquam reces-

[1] « L'expérience, habet similiter Malebranche, apprend que la connaissance la plus exacte des choses ordinaires ne donne point de réputation dans le monde, et que la connaissance des choses peu communes, quelque confuse et imparfaite qu'elle puisse être, attire toujours l'estime et le respect de ceux qui se font volontiers une haute idée de ce qu'ils n'entendent pas. Et cette expérience détermine tous ceux qui sont plus sensibles à la vanité qu'à la vérité, et par conséquent la plupart des hommes, à une recherche aveugle de ces connaissances spécieuses et imaginaires de tout ce qui est grand, rare et obscur. » (*Rech. de la ver.*, liv. VI, partie II, ch. 4.)

[2] *De Meth.* I. (AT. 545.)

sissem »[1]. Sic igitur, cum esset in Germania et ab inauguratione Imperatoris versus castra reverteretur, hiemandum ei prope oppidum Ulmae contigit : ubi nullos habens quibuscum libenter colloqueretur amicos et ab omni cura felici fortuna extraneus, in hypocausto seu calefacto conclavi, variis vacans meditationibus per totos dies solus morabatur[2]. Huius recessus, sive Oratio de Methodo, sive Meditationum praecipua pars, quae fundamentum postea Principiis praestavere, insignia praebent et conspicienda vestigia[3].

Veritatis igitur desiderio incensus, Cartesius scholas adiit, libros perlegit, homines frequentavit, apud semetipsum denique sese convertit : quid illi faciendum manebat quod non fecerit ?

Assumptos labores vidimus : modo perceptos fructus videamus.

III

Tot laborum quaenam sterilitas.

Et ad studia Collegii primo quod attinet, ipsemet qui scripserat : « Ab ineunte aetate ad literarum studia animum adieci ; et quoniam a praeceptoribus audiebam

[1] *Idem. (Id.)*

[2] Adam, 47 ; *De Meth. l. c.*

[3] Hinc non iniuria ad hanc periodum Adam reputat spectare quae in prima et altera legimus Meditatione : « me hic esse, foco assidere, hyemali toga esse indutum... Sumamus, exempli gratia, hanc ceram : nuperrime ex favis fuit educta ; nondum amisit omnem saporem sui mellis ; nonnihil retinet odoris florum ex quibus collecta est... Nisi iam forte respexissem ex fenestra homines in platea transeuntes, quos etiam ipsos non minus usitate quam ceram dico me videre. Quid autem video praeter pileos et vestes, sub quibus latere possunt automata ?... » (Adam, 130.)

illarum ope certam et evidentem cognitionem eorum omnium quae ad vitam utilia sunt acquiri posse, incredibili desiderio discendi flagrabam »[1], sequentia continuo prodit : « Sed simul ac illud studiorum curriculum absolvi, quo decurso mos est in eruditorum numerum cooptari, plane aliud coepi cogitare. Tot enim me dubiis totque erroribus implicatum esse animadverti, ut omnes discendi conatus nihil aliud mihi profuisse iudicarem, quam quod ignorantiam meam magis magisque detexissem. Attamen tunc degebam (subdit) in una ex celeberrimis totius Europae scholis, in qua, sicubi in universo terrarum orbe, doctos viros esse debere cogitabam. Omnibus iis quibus alii ibidem imbuebantur utcunque tinctus eram. Nec contentus scientiis quas docebamur, libros de quibuslibet aliis magis curiosis atque a vulgo remotis tractantes, quotquot in manus meas inciderant evolveram. Aliorum etiam de me iudicia audiebam, nec videbam me quoquam condiscipulorum inferiorem aestimari, quamvis iam ex eorum numero nonnulli ad praeceptorum loca implenda destinarentur. Ac denique hoc saeculum non minus floridum et bonorum ingeniorum ferax quam ullum praecedentium esse arbitrabar. Quae omnia mihi audaciam dabant de aliis ex me iudicandi, et credendi nullam in mundo scientiam dari, illi parem cuius spes mihi facta erat »[2]. Ad particulares autem disciplinas veniens ita prosequitur : « Non tamen idcirco studia omnia, quibus operam dederam in scholis, negligebam : fatebar enim *linguarum* peritiam quae ibi acquiritur ad veterum scripta intelligenda requiri ; artificiosas *fabularum* narrationes ingenium quodammodo expolire et excitare ; casus *historiarum* memorabiles animum ad magna

[1] *De Meth.* I. (AT. VI, 541-2.)
[2] *De Meth.* I. (AT. VI, 542.)

suscipienda impellere, et ipsas cum prudentia lectas non parum ad formandum iudicium conferre ; omnem denique bonorum librorum lectionem eodem fere modo nobis prodesse, ac si familiari colloquio praestantissimorum totius antiquitatis ingeniorum, quorum illi monumenta sunt, uteremur : et quidem colloquio ita praemeditato, ut non nisi optimas et selectissimas quasque ex suis cogitationibus nobis declarent ; *Eloquentiam* vires habere permagnas et ad ornatum vitae multum conferre ; *Poësi* nihil esse amoenius et dulcius ; multa in *Mathematicis* disciplinis haberi acutissime inventa, quaeque cum curiosos oblectant, tum etiam in operibus quibuslibet perficiendis, et artificum labore minuendo plurimum iuvant ; multa in scriptis quae *de moribus* tractant praecepta multasque ad virtutem cohortationes utilissimas contineri ; *Theologiam* coelo potiundi rationem docere ; *Philosophiam* verisimiliter de omnibus disserendi copiam dare, et non parvam sui admirationem apud simpliciores excitare ; *Iurisprudentiam*, *Medicinam*, et *scientiarum reliquas*, honores et divitias in cultores suos congerere ; nec omnino ullam esse, etiam ex maxime superstitiosis et falsis, cui aliquam operam dedisse non sit utile, saltem ut possimus quid valeant iudicare et non facile ab ulla fallamur » [1]. Alibi quoque de Philosophia iudicium praebens simul ac de Mathematicis disciplinis : « Studueram in scholis, inquit, inter Philosophiae partes, Logicae, et inter Mathematicas disciplinas, Analysi Geometricae atque Algebrae, tribus artibus sive scientiis quae nonnihil ad meum institutum facere posse videbantur. Sed illas diligentius examinando, animadverti, quantum ad Logicam, syllogismorum formas aliaque fere omnia eius praecepta, non tam prodesse ad ea quae ignoramus

[1] *l. c.* (AT. VI, 542-3)

investiganda, quam ad ea, quae iam scimus, aliis exponenda ; vel etiam, ut ars Lullii, ad copiose et sine iudicio de iis quae nescimus garriendum. Et quamvis multa quidem habeant verissima et optima, tam multis tamen aliis, vel supervacuis vel etiam interdum noxiis, adiuncta esse, ut illa dignoscere et separare non minus saepe difficile sit, quam Dianam aliquam aut Minervam ex rudi marmore excitare »[1]. Circa Philosophiam pariter hoc adiciamus demum testimonium : « De Philosophia nihil dicam, declarat, nisi quod, cum scirem illam a praestantissimis omnium saeculorum ingeniis fuisse excultam, et nihil tamen adhuc in ea reperiri, de quo non in utramque partem disputetur, hoc est, quod non sit dubium et incertum, non tantum ingenio meo confidebam, ut aliquid in ea melius a me quam a caeteris inveniri posse sperarem. Et cum attenderem quot diversae de eadem re opiniones sint, quarum singulae a doctis viris defenduntur, et ex quibus tamen nunquam plus una vera esse potest, quidquid ut probabile tantum affertur propemodum pro falso habendum existimabam. Quod ad caeteras (subiungit) scientias, quoniam a Philosophia principia sua mutuantur, nihil illas valde solidum et firmum tam instabilibus fundamentis superstruere potuisse arbitrabar »[2].

Quapropter, ut paucis me expediam, haec fuit emolumenti summa, veteris illius proverbii confirmatio : Nihil tam absurdi dici posse quod ab aliquo Philosophorum non dicatur. Aliis verbis, et suam et aliorum attactus ignorantiam, studiorum philosophicorum quibus in scholis vacarat ad hoc tantum est usus

[1] *De Meth.* II. (AT. VI, 549.)
[2] *De Meth.* I. (AT. VI, 544.)

adminiculo ut praecipuam detegeret incertitudinem [1] rerum omnium quae ibidem studiosi docebantur.

Sed dum sterilitas haec emolumentum omne fuit quod ex studiis philosophicis obtinuit, meliores in mathematicis consecutus est proventus. Cartesius etenim, qui veritatis cognitionem certam et evidentem in addiscendo quaesiverat, quam a philosophis frustra petiit, a mathematicis plenam impetravit. Animadvertit quippe ex omnibus qui ad id tempus veritatem in scientiis investigaverant, solos mathematicos demonstrationes aliquas, certas nempe et evidentes rationes, invenisse [2]. Hinc iam a primordiis mathematicis deditum, atque indoles miras sive quod ad analysim veterum, sive quod ad algebram recentiorum prodiisse scimus [3] : his pariter postea in Hollandia insistebat dum anno 1618 Isaaco Beeckman arta consuetudine iungitur [4].

[1] « Vulgarem docendi methodum, quae in Scholis obtinet, vituperare, animum non induxi, nec inducam unquam ; illi enim tantillum id, quod scio, debeo, eiusque adminiculo, ad agnoscendam rerum omnium, quas ibi edoctus sum, incertitudinem usus fui. Itaque etiamsi praeceptores mei nihil me certi edocuerint, nihilominus, quod, ut id agnoscerem, ab iis didicerim, gratias ipsis habere debeo... » (*Recherche de la Vérité.* — AT. X, 516.)

[2] Cf. *De Meth.* I. (AT. VI, 550) et *Reg.* II. (AT. X, 363.)

[3] Adam, 24. — « Descartes, habet Liard, était né mathématicien. Dès le collège il montra pour l'analyse des anciens et l'algèbre des modernes des aptitudes qui tenaient du prodige ; déjà même, il avait conçu le dessein de les réformer ». (Liard, *Descartes.* Paris, Alcan, 1911, p. 36).

[4] Adam, 45-6. — « Pendant qu'il se trouve à Bréda, il voit un grand concours de gens arrêtés devant une affiche en flamand. Il prie un de ses voisins de lui expliquer en latin ou en français ce qu'elle contient. Le voisin complaisant la traduit en latin : c'est un problème de géométrie dont on défie de trouver la solution. Ce traducteur, voulant se moquer du

Ipsemet de cetero Cartesius : « Mathematicis disciplinis, testatur, praecipue delectabar, ob certitudinem atque evidentiam rationum quibus nituntur » [1].

Prope inopiam igitur philosophicarum scientiarum, divitias cum veritatum, tum mathematicae methodi Cartesius in scholis congessit.

* * *

Ad profectus nunc peregrinationum devenientes propriam Cartesii confessionem pariter possidemus : notavit quippe inter peregrinandum « non omnes eos qui opinionibus a nostro sensu valde remotis sunt imbuti, barbaros idcirco et stolidos esse putandos ; sed plerosque ex iis vel aeque bene vel etiam melius quam nos ratione uti » [2]. Consideravit praeterea « quantum idem homo cum eadem sua mente, si a primis annis anter Gallos aut Germanos vivat, diversus evadat ab eo qui foret, si semper inter Sinas aut Americanos

jeune officier, lui demande de lui apporter le lendemain la réponse désirée. Il n'était autre que le principal du collège de Dordrecht, un mathématicien éminent, Isaac Beeckman. Le lendemain, Descartes apporte la solution demandée. Frappé de son savoir, Beeckman lui offre son amitié. » (Fouillée, 10.) — Huius amoris testem Compendium Musicae Isaaco dicatum habemus, de quo Hamelin : « Le *Compendium Musicae*, inquit, ne peut évidemment nous être utile que par accident. Il se trouve effectivement qu'il n'est pas inutile ; et, au moment de relever les pensées sur la méthode que Descartes a conçues depuis sa sortie du collège jusqu'aux *Regulae*, nous devons emprunter à M. Millet une observation très juste. C'est qu'on trouve déjà dans ce traité une tendance à l'exposition géométrique. Les remarques par lesquelles Descartes commence sont autant de principes sur lesquels il s'appuiera dans la suite, de sorte qu'il traitera la musique, autant que possible, comme une science déductive. » (Hamelin, 38.) — Cf. Fouillée, 168.

[1] *De Meth.* I. (AT. VI, 543.)

[2] *De Meth.* II. (AT. VI, 548.)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

educaretur ; et quantum etiam in multis rebus non magni momenti, ut circa vestium quibus induimur formam, illud idem quod nobis maxime placuit ante decem annos, et forte post decem annos rursus placebit, nunc ridiculum atque ineptum videatur : adeo ut exemplo potius et consuetudine quam ulla certa cognitione ducamur » [1].

Ex quo, tot advertens in iis diversitates quot in opinionibus Philosophorum antea compererat, non modo certi nihil in hominum moribus detegit, sed nihil amplius nimis obstinate credendum didicit horum quae solum exemplum vel consuetudo persuaserit [2].

Librorum attamen studiis non dissimiliter, iuxta eos quos *negativos* appellare possumus, e tot peregrinationibus fructus alios *positivos* collegit. Evenit etenim ut observaret illa opera quibus plures et inter se minime consentientes artifices manum adhibuere, raro tam perfecta evadere quam evadunt illa quae ab ipsomet a quo incepta sunt, sunt pariter in perfectionem adducta. « Videmus, memorat, aedificia quae ab eodem Architecto incepta et ad summum usque perducta fuere, ut plurimum elegantiora esse et concinniora, quam illa quae diversi, diversis temporibus novos parietes veteribus adiungendo, construxerunt. Ita antiquae illae civitates, quae, cum initio ignobiles tantum pagi fuissent, in magnas paulatim urbes creverunt, si conferantur cum novis illis, quas totas simul metator aliquis in planicie libere designavit, admodum indigestae atque inordinatae reperiuntur. Et quamvis singula earum aedificia inspicienti, saepe plus artis atque ornatus in plerisque appareat quam in ullis aliarum ; conside-

[1] *Ibid.* (AT. VI, 548-9.)
[2] *l. c.* I. (AT. VI, 545.)

ranti tamen omnia simul, et quomodo magna parvis adiuncta plateas inaequales et curvas efficiant caeco potius et fortuito quodam casu, quam hominum ratione utentium voluntate, sic disposita esse videantur. Quibus (subdit) si addimus, fuisse tamen semper Aediles aliquos in istis urbibus, quorum officium erat procurare ut privatorum aedes publico ornatui quantum fieri posset inservirent ; perspicue intelligemus quam difficile sit, alienis tantum operibus manum admovendo, aliquid facere valde perfectum »[1].

Propterea, sicut e librorum studio scholarumque frequentatione mathematicam unam certitudinem lucratus est, ita e tot peregrinationibus prae communi sententia singularis ingenii praestantiam argumentatur.

* * *

In hypocausto denique, ab omni hominum usu atque librorum concedens, has quas modo diximus cogitationes in animo secum revolvens, pensitare coepit illos etiam populos « qui cum olim valde barbari atque inculti fuissent, non nisi successu temporis urbanitatem asciverunt, nec ullas leges, nisi prout ab incommodis quae ex criminibus et discordiis percipiebant, fuere coacti, condiderunt, non tam bene instituta republica solere uti, quam illos qui a primo initio quo simul congregati fuere, prudentis alicuius legislatoris constitutiones observarunt. Sic certe non dubium est quin status verae religionis, qui legibus a Deo ipso sancitis gubernatur, sit omnium optime constitutus, et cum nullo alio comparandus. Sed, ut de rebus quae ad homines solos pertinent loquamur (scribit), si olim Lacedaemoniorum respublica fuit florentissima, non

[1] *Ibid.* II. (AT. VI, 546.)

puto ex eo contigisse, quod legibus uteretur quae singillatim spectatae meliores essent aliarum civitatum institutis, nam contra multae ex iis ab usu communi abhorrebant, atque etiam bonis moribus adversabantur, sed ex eo quod ab uno tantum legislatore conditae sibi omnes consentiebant, atque in eundem scopum collimabant ». Eodem plane modo sibi persuasit : « scientias, quae libris continentur, illas saltem quae perspicuis demonstrationibus carentes, verisimilibus tantum argumentis fulciuntur, quia non nisi ex variis diversorum hominum sententiis simul collectis conflatae sunt, non tam prope ad veritatem accedere, quam opiniones quas homo aliquis sola ratione naturali utens, et nullo praeiudicio laborans, de rebus quibuslibet obviis habere potest »[1].

Haec de scientia in genere et universe detecta, ad scientiam postmodum particularem et personalem transtulit. Quem ad modum etenim plures ad invicem minime consentientes artifices, quae veniunt in libris, vitiosas reddiderunt opiniones, non aliter discrepantium, qui in uniuscuiusque nostrum sententiis efformandis auctores laborarunt, scientiam, quae in unoquoque est, suspectam ipso facto convincunt. Non quippe unum sed plures simul coadiuvisse planum est : sensus scilicet, naturalis dein instinctus, praeceptores vel magistri, et personalis demum intellectus. Certum quoque est ac omni ex parte pariter indubitatum nos ab initio perfectos homines non nasci, sed esse infantes prius, et deinceps, temporis decursu, paulatim adolescere. Porro, quaenam sit illius primae aetatis imbecillitas latet nemini. Non modo organa corporis infirmiora sunt, sed ipse rationis usus vel prorsus impossibilis vel imperfectus valde. Instat attamen operationis

[1] *Ibidem* (*id.*)

atque iudicandi necessitas : doloris vel voluptatis sensus, quibus afficimur maxime, ad corpus mentem revocant : quae oculis vel tactui percipimus, totos occupant ; ac veteri semel vincti consuetudine, iisdem infantiae vitiis semper manemus obnoxii. Ipsa quae secundo prodit, naturalis inclinatio, vitiatam iam naturam invenit, qua, nedum ipsam corrigat, inquinatur. Veniunt quidem postea praeceptores : sed hi, ut plurimum, in consiliando discordant, cumque eorum nullus forsan quod optimum est suadeat, eorumque sententiis infantes absque vel minimo accipiamus examine, primaeva infirmitas, non modo non vincitur, sed magis magisque extenditur et serpit. Consequitur postremo optimus quidem omnium artifex maturus intellectus : tardius attamen quam ut remedium de facili afferre queat : atque universali vitio contaminatus vel corporalia tantum et sensibilia sua attingit operatione, vel, si quae ultra, corporalium et sensibilium pari modo : nihil ideo corporibus percipit clarius, nihil nisi per conversionem ad phantasmata contingit [1]. At dato etiam quod omnia vitia haec in intellectum non serpant, vix tamen iam fieri potest ut iudicia nostra, quae matura formamus aetate, tam recta sint, eaque tam firma, quam tunc essent si ratio nostra in nobis aeque perfecta iam ab initio exstitisset eique soli nos tradidissemus regendos [2].

[1] *Princ. Philos.* I, 70 sqq. (AT. VIII, 34 sqq.) — Cf. Claubergius, *Logica*, Prolegom., c. II. (*Opera Omnia Philosophica*, Amsterlodami, 1691, pag. 771 sqq.)

[2] *De Meth.* II. (AT. VI, 547.) — « Il est entré (l'homme) ignorant dans le monde, & la connoissance de son premier aage n'estant appuiée que sur la foiblesse des sens et sur l'authorité des precepteurs, il est presque impossible, que son imagination ne se trouve remplie d'une infinité de fausses pensées, avant que cette raison en puisse entreprendre la conduite : de sorte qu'il a besoin par apres d'un tres grand (lire : tres bon.

IV

Dubii professio.

Manebat igitur quod scientiae instauratio tentaretur, uno adhibito, eoque omnium optimo, Architecto.

Quam instaurationem autem, prout ad scientiam in universali refertur, Cartesius assumere recusat. « Insolens, inquit, foret omnia urbis alicuius aedificia diruere ad hoc solum ut, iisdem postea meliori ordine et forma exstructis, eius plateae pulchriores evaderent... Magna corpora si semel prostrata sunt, vix magno molimine rursus eriguntur, et concussa vix retinentur, atque omnis illorum lapsus est gravis. Deinde inter publicas res si quae forte imperfecta sunt, ut vel sola varietas quae in iis apud varias gentes reperitur, non omnia perfecta esse satis ostendit, longo illa usu tolerabilia sensim redduntur, et multa saepe vel emendantur vel vitantur, quibus non tam facile esset humana prudentia subvenire ; ac denique illa fere semper ab assuetis populis commodius ferri possunt quam illorum mutatio. Eodem modo (prosequitur) quo videmus regias vias quae inter anfractus montium deflexae et contortae sunt, diuturno transeuntium attritu tam planas et commodas reddi solere, ut longe melius sit eas sequi, quam iuga montium transcendendo et per praecipitia ruendo rectius iter tentare ». Quod ad suum propositum appli-

AT.) natùrel, ou bien des instructions de quelque sage, tant pour se defaire des mauvaises doctrines dont il est preoccupé, que pour jetter les premiers fondemens d'une science solide... » (*Rech. de la Verité.* AT. X. 495-6.)

cans : « eodemque modo, ait, mihi persuasi non quidem rationi esse consentaneum, ut privatus aliquis, de rebus publicis reformandis cogitando, eas prius a fundamentis velit evertere ut postea melius instituat. Nec quidem scientias vulgatas, ordinemve eas docendi in scholis usu receptum sic debere immutari unquam putavi. ... Et idcirco leves istos atque inquietos homines maxime odi, qui cum nec a genere, nec a fortuna vocati sint ad publicarum rerum administrationem, semper tamen in iis novi aliquid reformare meditantur. Et si vel minimum quid (absolvit) in hoc scripto esse putarem, unde quis me tali genere stultitiae laborare posset suspicari, nullo modo pati vellem ut vulgaretur » [1].

Sed quae pro tota communitate maxima prudentiae regula est, cum de singulari persona seu individuo agitur non propterea eodem gaudere momento est arbitranda. Licet enim non videamus urbem aliquam everti ut meliori et pulchriori forma restauretur, « non insolens est dominum unius domus illam destrui curare ut eius loco meliorem aedificet » [2]. Et hoc quidem non modo ipsis liberum relinquitur, ut cum placuerit faciant, sed frequenter ad huiusmodi sunt publica etiam auctoritate coacti : « Saepe, inquit Cartesius, multi hoc facere coguntur, nempe cum aedes habent vetustate iam fatiscentes, vel quae infirmis fundamentis superstructae ruinam minantur » [3].

Quapropter secum cogitavit optimo frui quemque iure si scientiam quam possidet ipse, quamque propter infantiae praeiudicia, sive sententias ante plenum rationis usum receptas, fatiscentem atque infirmam

[1] *De Meth.* II. (AT. VI. 547-8.)
[2] *Ibidem* (*Id.* 547).
[3] *Idem.*

detegit, statuat evertendam, intellectum postea, artificum sapientissimum, de instauratione rogaturus. Ideo absolvit : « Quod ad eas opiniones attinet, quas ego ipse in eum usque diem fueram amplexus, nihil melius me facere posse arbitrabar quam si omnes simul et semel e mente mea delerem, ut deinde vel alias meliores, vel certe easdem, sed postquam maturae rationis examen subiissent, admitterem : credebamque hoc pacto longe melius me ad vitam regendam posse informari, quam si veteris aedificii fundamenta retinerem, iisque tantum principiis inniterer, quibus olim iuvenilis aetas mea, nullo unquam adhibito examine an veritati congruerent, credulitatem suam addixerat » [1].

Quia tamen ingens erat opus, atque Cartesii aetas nondum videbatur aptissima, maturiorem, quam nulla aptior sequeretur, expectavit [2]. Interea vero temporis denuo ad peregrinandum se accinxit, per subsequentes novem annos comoediarum quae in mundo continuo exhibentur spectatorem potius quam actorem se praebens, et ut melius falsas detegeret opiniones, et ut mentem ad generalem quam meditabat dubitationem suaviter sed efficaciter alliceret [3].

His autem peractis ac iudicii summam quam attingere sperabat maturitatem ut credidit nactus, « mentem (refert ipse) curis omnibus exsolvi, securum mihi otium procuravi, solus secedo, serio tandem et libere generali huic mearum opinionum eversioni vacabo » [4].

At testatur denuo : « Nunquam ulterius mea cogitatio provecta est quam ut proprias opiniones emendare conarer, atque in fundo qui totus meus est

[1] *Idem.*
[2] *I Med.* (AT. VII, 17.)
[3] *De Meth.* III. (AT. VI, 556.)
[4] *I Med.* (AT. VII, 17-8.)

aedificarem. Et quamvis, quia meum opus mihi ipsi satis placet, eius exemplar hic vobis proponam, non ideo cuiquam author esse velim ut simile quid aggrediatur »[1]. '

Duo etenim sunt, Cartesio teste, hominum genera quibus hoc nullatenus potest convenire : illi scilicet qui de proprio ultra quod iustum est confidentes ingenio, debito celerius iudicare solent, quique proinde, veteribus semel opinionibus reiectis, in novis stabiliendis non insistunt satis et propterea a veritatis semita perfacile aberrant ; ac illi pariter qui satis vel modestiae vel iudicii possidentes ut seipsos aliis ingenii capacitate inferiores existiment, potius horum valent opiniones sequi quam alias propriis viribus invenire[2].

Sed quod ad ceteros attinet, eadem prorsus valet quae pro ipsomet Cartesio ratio : quia scientia certam atque evidentem cognitionem nominat et nihil recipere virum philosophum decet quod verum ac plane indubitatum non sit compertum ; cum, alia ex parte, infantiae praeiudiciis, non aliter quam solemni et generali abdicatione obsistere valeamus, omnia praeiudicia sunt deponenda atque accurate est cavendum ne ullam amplius fidem iis quae nondum explorata sunt adhibeamus[3].

Mens, ergo, prouti dicebant veteres, udum et molle lutum est, et tabulae rasae optime comparatur : in ea primas delineationes insculpunt sensus : natu-

[1] *De Meth.* II. (AT. VI, 548.)

[2] *Ibidem.*

[3] Cf. II, IV et VII, *Resp.* (AT. VII, 135, 231, 518) ; *Princ. Philos.* I, nn. 1, 75 et 76. (AT. VIII, 5, 38, 39) ; *Reg.* II. (AT. X, 362.)

ralis succedit sensibilis instinctus : postea parentum et praeceptorum venit magisterium ; demum ipsa personalis intelligentia consequitur. Sed dum posterioris huius partes sunt, deturpatam ab iis qui in laborando praecesserunt tabulam invenit : ipse, insignis pictor, imaginem habet perficiendam. Posset quidem unum post alium singulos errores forsan corrigere, ne imperfectam et minus dignam absolvat : sed melius est atque expeditius si spongia omnem sensibus, instinctu et praeceptoribus effectam picturam deleat et, a primis incipiens lineamentis, totam imaginem perficiat [1].

[1] « *Epistemon.* — Il me semble que tout cela s'explique fort clairement, si on compare la fantaisie des enfans à une table d'attente, dans laquelle doivent estre mises nos idées, qui sont comme des portraits tirés de chasque chose appres le naturel. Les sens, l'inclination, les precepteurs, & l'entendement, sont les peintres différens, qui peuvent travailler à cet ouvrage ; entre lesquels ceux qui en sont moins capables, sont les premiers qui s'en meslent, à sçavoir des sens imparfaits, un instinct aveugle, & des nourrices impertinentes. Le meilleur vient le dernier, qui est l'entendement ; & encore faut il qu'il fasse plusieurs années d'apprentissage, & qu'il suive longtemps l'exemple de ses maistres, avant qu'il ose entreprendre de corriger aucune de leurs fautes. Ce qui est, à mon advis, une des principales causes pourquoy nous avons tant de peine à connoistre. Car nos sens ne voyent rien au dela des choses plus grossières & communes, nostre inclination naturelle est toute corrompue ; & pour les precepteurs, encore qu'il s'en puisse trouver sans doute de tres parfaits, si est ce qu'ils ne sçauroient forcer nostre creance de recevoir leurs raisons, jusqu'à ce que nostre entendement les ait examinées, auquel seul il appartient de parachever cet ouvrage. Mais il est comme un excellent peintre qu'on auroit amployé pour mettre les derniers couleurs à un mauvais tableau, que de jeunes apprentifs ont esbauché ; lequel auroit beau prattiquer toutes les regles de son art, pour y corriger peu à peu tantost un trait tantost un autre, & y adjouster du sien tout ce qui manque, si

Deveniendum proinde ad tabulam illam rasam priorem, in qua omnia quidem possunt scribi, sed in qua nihil adhuc est in ordine ad veritatem scriptum. « Infans a non fando, inquit Claubergius, nomen habet : ita philosophaturus initio sui studii nihil fatur, nihil decernit, sed prius percipere conatur res illas de quibus effata philosophica stabilienda... Infantes recens geniti abluuntur aqua : et sic mens hominis philosophaturi expurganda est falsarum ac dubiarum opinionum sordibus, ut purum verae scientiae habitum queat induere » [1].

* * *

Diebus quibus Cartesius similibus cogitationibus quam ardentissime vacabat, animo (ut ego puto) de novae viae exitu sollicito, dormienti visum est dum ad Collegii Ecclesiam pergeret, a maligno quodam spiritu, quo ultro procedebat, propulsum. Postea Dictionarium aliquod coram oculis sponte

est ce pourtant qu'il ne pourroit jamais si bien faire, qu'il n'y laissast de grands deffauts, puisque dans le commencement le dessein a esté mal compris, les figures mal plantées, & les proportions mal observées. *Eudoxe.* — Vostre comparaison découvre fort bien le premier empeschement qui nous arrive ; mais vous n'adjoutés pas le moyen duquel il se faut servir, affin de s'en garder. Qui est, ce me semble, que, comme vostre peintre feroit beaucoup mieux de recommencer tout à fait ce tableau, ayant premierement passé l'esponge par dessus pour en effacer tous les traits qu'il y trouve, que de perdre le temps à les corriger : il faudroit aussy que chaque homme, si tost qu'il a atteint un certain terme qu'on apelle l'aage de connoissance, se resolust une bonne fois d'oster de sa fantaisie toutes les idées imparfaites qui y ont esté tracées jusqu'alors, & qu'il recommençast tout de bon d'en former de nouvelles... » (*Rech. de la Verité.* — AT. X, 507-8.)

[1] CLAUBERGIUS, *De Initiatione Philosophi.* Prologom. (Opera, pp. 1125-6.)

oblatum intuetur, dein volumen quod Corpus Poetarum inscribitur animadvertit, loco illo apertum ubi dicitur : *Quod vitae sectabor iter ?* Simul pariter ignotum percipit hominem qui poesim quamdam, cuius verba : *Est et Non* formabant initium, legendam offert.

Evigilans Cartesius votum Aedes Lauretanas, quam devotissime ab ullo fieri consuevit [1], invisendi, grati animi in testimonium, nuncupavit [2]. « Religiosae peregrinationis votum, en (stupens exclamat Höffding) miram in modernam Philosophiam introductionem » [3].

[1] « Ante finem Novembris Lauretum petam, idque pedes é Venetiis, si commode et moris id sit ; sin minus, saltem quam devotissime ab ullo fieri consuevit. » (*Cogitationes Privatae.* — AT. X, 217-8.)

[2] Cf. Baillet, I, 80-6.

[3] « Un vœu de pèlerinage, voilà une singulière introduction à la philosophie moderne. » (Höffding, I, 221.)

CAPUT II

Dubii Cartesiani explicatio.

I

Methodus quam in dubitando Cartesius sequitur.

Dixerat Cartesius : « Quod ad eas opiniones attinet, quas ego ipse in eum usque diem fueram amplexus, nihil melius facere me posse arbitrabar, quam si omnes simul et semel e mente mea delerem, ut deinde vel alias meliores, vel certe easdem, sed postquam maturae rationis examen subiissent, admitterem »[1]. Pariter in principio Meditationum : « Animadverti iam ante aliquot annos quam multa, ineunte aetate, falsa pro veris admiserim, et quam dubia sint quaecunque istis postea superextruxi, ac proinde funditus omnia semel in vita esse evertenda, atque a primis fundamentis denuo inchoandum, si quid aliquando firmum et mansurum cupiam in scientiis stabilire »[2].

Destinata igitur Cartesium executurum lectoris animo spes inicitur id omne, quod hucusque tenuit, a radicibus imis una exstirpatum iri. Quem ad modum etenim non insolens est sed pervulgatum et tritum maxime dominum alicuius domus destructionem ut

[1] *De Meth.* II. (AT. VI, 547.)
[2] *I Med.* (AT. VII, 17.)

meliorem aedificet curare, nec imprudens atque illegitimum, sed prudens est ac commendabile valde, quod illam ipsam, dum ruinam minatur, in propriam securitatem evertat, ita etiam, scientiae habitae condiciones Cartesio satisfacere non valentes, hanc pro male structa domo reputavit, cuius basis sufficienti securitate non sit firmata. Et nihil, sibi dixit, in remedium opportunius venit quam ab origine semel totam diruere, demum a fundamentis perficiendam : non enim humiles illos imitari vellem artifices, qui, novi aliquid aggrediendi impares, semper in senio confectis domibus laborant renovandis [1].

Quod de reliquo maxime illi foret actu facile. Tenet etenim Cartesius tantam nobis inesse libertatem ut multis, ne dicam omnibus, pro libitu assentiri vel non assentiri valeamus [2].

[1] « *Eudoxe*. — ... Il faudra icy que vous me prestiés vostre attention, & me laissiés un peu entretenir avec Poliandre, afin que je puisse d'abord renverser toute la connoissance acquise jusques à present. Car puisqu'elle n'est pas suffisante pour luy satisfaire, elle ne sçauroit estre que mauvaise, & je la tiens pour quelque maison mal bastie, de qui les fondemens ne sont pas assurés. Je ne sçay point de meilleur moyen pour y remedier, que de la jetter toute par terre, & d'en bastir une nouvelle ; car je ne veux pas estre de ces petits artisans, qui ne s'employent qu'à raccomoder les vieux ouvrages, pour ce qu'ils se sentent incapables d'en entreprendre de nouveaux. » (*Rech. de la Verité*. — AT. X, 509.)

[2] « Quod autem sit in nostra voluntate libertas, et multis ad arbitrium vel assentiri vel non assentiri possimus, adeo manifestum est, ut inter primas et maxime communes notiones, quae nobis sunt innatae, sit recensendum. Patuitque hoc maxime, paulo ante, cum de omnibus dubitare studentes, eo usque sumus progressi, ut fingeremus aliquem potentissimum nostrae originis authorem modis omnibus nos fallere conari ; nihilominus

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

In cartesiana enim doctrina, sicut voluntatis est assensionem in iudicio praestando dare, sic et in dubitando assensum cohibere : intellectus quidem, quae inter utrumque propositionis terminum exsistat, relationem percipit, una autem voluntas propria sancit affirmatione et consensu. Ideo certitudo in actu voluntatis completur, atque dubium in huius ipsiusmet actu perficitur. Certitudo ac dubium apud Cartesium magis sunt actus voluntatis quam intellectus : hic ad dubium vel certitudinem disponit, illa dubium vel certitudinem causat : hic preparat, illa elicit. Nostri propterea est ab antea receptis opinionibus quibuscumque, dum velimus, assensum retrahere, atque ab omnibus semel pronuntiatis iudiciis, donec melius et attentius examinentur, adimere sententiam.

Simili quoque interpretationi nonnulla alia apud Cartesium loca faverent. Sic in VII Resp. scribit : « Testatus sum ubique in meis scriptis, me Architectos in eo imitari, quod, ut solida aedificia construant, in locis ubi saxum, vel argilla, vel aliud quodcunque firmum solum arenosa superficie contectum est, fossas primum excavent, omnemque ex iis arenam, et alia quaevis arenae nixa aut permista, reiiciant, ut deinde in solo firmo ponant fundamenta. Sic enim ego dubia omnia, instar arenae, primum reieci... »[1]. Et clarius, si conceditur, alibi : « Utar, habet, hic exemplo valde familiari, ad facti mei rationem ipsi (obiectanti nempe) explicandam, ne

enim hanc in nobis libertatem esse experiebamur, ut possemus ab iis credendis abstinere, quae non plane certa sunt et explorata. Nec ulla magis per se nota et perspecta esse possunt, quam quae tunc temporis non dubia videbantur. » (I *Princ.*, 39. — AT. VIII, 19-20.)

[1] VII *Resp.* (AT. VII, 536-7.)

deinceps illam non intelligat, aut se non intelligere ausit simulare. Si forte haberet corbem pomis plenam, et vereretur ne aliqua ex pomis istis essent putrida, velletque ipsa auferre, ne reliqua corrumperent, quo pacto id faceret ? An non in primis omnia omnino ex corbe reiiceret ? ac deinde singula ordine perlustrans, ea sola, quae agnosceret non esse corrupta, resumeret, atque in corbem reponeret, aliis relictis ? Eadem ergo ratione, ii qui nunquam recte philosophati sunt, varias habent in mente sua opiniones, quas cum a pueritia coacervare coeperint, merito timent ne pleraeque ex iis non sint verae, ipsasque ab aliis separare conantur, ne ob earum misturam reddantur omnes incertae. Hocque nulla meliore via facere possunt, quam si omnes simul et semel, tanquam incertas falsasve reiiciant ; ac deinde singulas ordine perlustrantes, eas solas resumant, quas veras et indubitatas esse cognoscent. Atque ita (arguit) non male omnia initio reieci... » [1].

His autem, et si quae alia adduci possent, minime obstantibus, tenendum est potius cognitionum quas habebat aedificium non tam in destructionem quam in recognitionem apud Cartesium commissum : non concutere voluit, sed rimari.

Apparet primo ex ipsiusmet repetitis verbis : « Quia tunc veritati quaerendae, non autem rebus agendis, me totum tradere volebam, putavi mihi plane contrarium esse faciendum, et *illa omnia in quibus vel minimam dubitandi rationem possem reperire, tanquam aperte falsa esse reiicienda ; ut experirer an, illis ita reiectis, nihil praeterea superesset de quo dubitare plane non possem* » [2]. Et initio Meditationum : « Quia iam ratio

[1] VII *Resp.* (AT. VII, 481.)
[2] *De Meth.* II. (AT. VI, 558.)

persuadet, non minus accurate ab iis quae non plane certa sunt et indubitata, quam ab aperte falsis assensionem esse cohibendam, satis erit ad omnes reiiciendas veteres opiniones scilicet, *si aliquam rationem dubitandi in unaquaque reperero* »[1]. In Principiis pariter : « Quoniam infantes, inquit, nati sumus, et varia de rebus sensibilibus iudicia prius tulimus, quam integrum nostrae rationis usum haberemus, multis praeiudiciis a veri cognitione avertimur : quibus non aliter videmur posse liberari, quam si semel in vita *de iis omnibus studeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperiemus* »[2].

Comprobatur etiam eius praxi, quae summum est eius animi argumentum. Cartesius, ut modo videbimus, non omnia primo reicit ut quaedam postea resumat : non omnia deponit ut singula probet : non omnia, ut fecit Architectus, principio simul evertit, arenam, lateres, immixtas quoque lapides, quibus deinde in nova instauratione utatur : nihil enim reicit, nihil deponit, nihil destruit, nisi quod infirmum comperit vel certum non satis explorat. Et in his evertendis quae removet, et reiciendis quae abigit, et deponendis quae proicit, nihil praeter punctum, Archimedes alter, firmum postulat et immobile, magna praedicans sperando si vel minimum quid invenerit quod firmum sit et inconcussum [3].

[1] I *Med.* (AT. VII, 18.)

[2] I. *Princ.* 1. (AT. VIII, 5.)

[3] Cf. II *Med.* AT. VII, 24. « Ut autem, scribit Spinoza, vera scientiarum principia inveniret, inquisivit postea num omnia, quae sub eius cogitationem cadere possent, in dubium revocarit ut sic exploraret, an forte quid reliquum esset, de quo nondum dubitarat. Quod si vero quid sic dubitando inveniret quod nulla ex praecedentibus nec etiam ulla alia ratione in dubium revocari posset, id sibi tanquam fundamentum,

II

Ordinem religiosum et ethicum a dubitatione excipit.

Priusquam ultra procederet, haec Cartesius animadvertit : « Ut illi qui novam domum, in locum eius quam inhabitant, volunt exstruere, non modo veterem prius evertunt, lapides, ligna, caementum, aliaque aedificanti utilia sibi comparant, Architectum consulunt, vel ipsimet se in architectura exercent et exemplar domus faciendae accurate describunt, sed etiam aliam aliquam sibi parant, quam interim, dum illa aedificabitur, possint non incommode habitare : sic ne dubius et anxius haererem circa ea, quae mihi erant agenda, quamdiu ratio suaderet incertum esse circa ea de quibus debebam iudicare : atque ut ab illo tempore vivere inciperem quam felicissime fieri posset, Ethicam quandam ad tempus mihi effinxi, quae tribus tantum aut quatuor regulis continebatur ; quas hic non pigebit adscribere. Primum erat, ut legibus atque institutis patriae obtemperarem, firmiterque illam religionem retinerem quam optimam iudicabam, et in qua Dei beneficio fueram ab incunte aetate institutus ; atque me in caeteris omnibus gubernarem iuxta opiniones quammaxime moderatas, atque ab omni extremitate remotas, quae communi usu receptae essent apud prudentissimos eorum cum quibus mihi esset vivendum.

cui omnem suam cognitionem superstruat, statuendum esse merito iudicavit. » (Spinoza, *Ren. Descartes Princ. Philos.* I, 2. — *Opera*, ed. Bruder, Lipsiae, Tauchnitz, 1843, vol I. pag. 23.).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

..... Ex pluribus autem sententiis aequaliter usu receptis moderatissimas semper eligebam, tum quia ad executionem facillimae, atque ut plurimum optimae sunt ; omne quippe nimium vitiosum esse solet ; tum etiam, ut si forte aberrarem, minus saltem a recta via deflecterem mediam tenendo, quam si unam ex extremis elegissem cum altera fuisset sequenda... Altera regula erat, ut quam maxime constans et tenax propositi semper essem, nec minus indubitanter atque incunctanter in iis peragendis perseverarem, quae ob rationes valde dubias vel forte nullas susceperam, quam in iis de quibus plane eram certus..... Tertia regula erat, ut semper me ipsum potius quam Fortunam vincere studerem, et cupiditates proprias quam ordinem mundi mutare... »[1].

Eliminantur expresse et excipiuntur pariter quaelibet fidei dogmata. « Praeter caetera autem (habet in Princ.), memoriae nostrae pro summa regula est infigendum, ea quae nobis a Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda. Et quamvis forte lumen rationis, quam maxime clarum et evidens, aliud quid nobis suggerere videretur, soli tamen authoritati divinae potius quam proprio nostro iudicio fidem esse adhibendam »[2].

Unde concludit : « Postquam me iis regulis instruxissem, illasque simul cum rebus fidei, quae semper apud me potissimae fuerunt, reservassem, quantum ad reliqua quibus olim eram imbutus, non dubitavi quin mihi liceret omnia ex animo meo delere »[3].

[1] *De Meth.* III. (AT. VI, 552-4.)
[2] I *Princ.*, 76. (AT. VIII, 39.)
[3] *De Meth.* III. (AT. VI, 556.)

III

In dubitatione processus.

§ 1. — Qua ratione Cartesius procedat.

Cartesio Gassendus obiectarat : « Comprobo institutum, quo mentem tuam exuere omni praeiudicio voluisti. Id unum satis non percipio : quamobrem satius non duxeris, simpliciter ac paucis verbis incerta habere quae praenoveras, ut ea deinde seligeres, quae vera deprehenderentur..... »[1]. Cartesius respondet : « Ais te comprobare institutum quo mentem praeiudiciis exuere conatus sum, utpote quod nemo fingere potest esse improbandum ; sed velles ut simpliciter ac paucis verbis, hoc est, perfunctorie tantum id effecissem. Quasi scilicet tam facile sit omnibus se erroribus liberare, quibus ab infantia imbuti sumus ? et quasi nimis accurate id fieri possit quod nemo negat esse faciendum ? Sed nempe indicare voluisti plerosque homines fateri quidem verbo tenus praeiudicia esse vitanda, sed tamen nunquam illa vitare, quia nullum studium aut laborem in hoc impendunt, nullaque ex iis quae semel ut vera admiserunt pro praeiudiciis habenda esse arbitrantur »[2]. Et postea « Nihil prodest ad errores nostros emendandos, quod dicatur nos errare, quia nostra mens caligat vel natura est imbecilla ; idem enim est ac si tantum diceretur nos errare, quia sumus erroribus obnoxii ; et manifeste utilius est attendere, ut feci, ad omnia in quibus contingere potest ut

1. V. *Obiectiones.* (AT. VII. 257.)
2. V. *Resp.* (AT. VII, 348.)

erremus, ne ipsis temere assentiamur »[1]. Aliis verbis « Non satis est, ut Malebranche conclamat, mentem infirmam pronuntiare : necesse est adhuc ut ipsamet proprios defectus experiatur »[2].

Cartesius igitur rationes quaerit quibus valor vel inanitas receptarum opinionum comprobetur. At in hoc etiam, peculiari et philosopho digna magis usus est methodo. Non enim ipsas particulares sententias examinat et iudicat, sed criteria quibus commendantur explorat[3]. « Nec ideo, notat Cartesius, singulae (opiniones) erunt percurrendae, quod operis esset infiniti ; sed quia, suffosis fundamentis, quidquid iis superaedificatum est sponte collabitur, aggrediar statim ipsa principia, quibus illud omne quod olim credidi nitebatur »[4].

§ 2. — Quaenam sint nostrarum facultatum data et argumenta.

Duo in omnibus Tractatibus suprema Criteriorum genera numerata veniunt : primum ea quae extrinseca nuncupantur capit ; alterum illa quae intrinseca dicuntur complectitur. Ad illud divinum pariter ac humanum testimonium pertinet ; ad hoc quaelibet cognoscendi personalis facultas.

[1] *Id.* (AT. VII, 349.)

[2] « Il ne suffit pas de dire que l'esprit est faible ; il faut lui faire sentir ses faiblesses. Ce n'est pas assez de dire qu'il est sujet à l'erreur ; il faut lui découvrir en quoi consistent ses erreurs. » (*Rech. de la Verité*, liv. I, ch. XX.)

[3] « Descartes est le premier qui a fait systématiquement, avant Hume et Kant, la critique de nos moyens de connaître ; et ce n'est pas son moindre titre de gloire. » (Fouillée, *op. l.* 82.)

[4] I. *Med.* (AT. VII, 18.)

Dei autem revelantis auctoritas, satis ex precedentibus ab omni examine seclusa est.

Humanum testimonium similiter, sed alia prorsus ratione, fere iam manet exceptum. Nihil, etenim, inter homines constans, nihil omnium usu et communi plausu receptum : alii condemnant quod alii approbant : alii conculcant quod alii tamquam sacrum et divinum reverentur. « Fateor, enarrat Cartesius, me vix quidquam certi didicisse quamdiu sic tantum aliorum hominum mores consideravi »[1]. Et non modo in practicis, quae determinatu difficilia sunt, utpote innumeris obnoxia circumstantiis, sed in iis pariter quae in libris velut scientifice demonstrata proferuntur ; quia, uti vidimus, nihil est tam absurdum dictu quod ab aliquo philosophorum non dicatur ; ipsa pluralitas sententiarum infirmitatem immo et omnium falsitatem satis denuntiat, nam « quotiescumque duorum de eadem re iudicia in contrarias partes feruntur, certum est alterutrum saltem decipi, ac ne unus quidem videtur habere scientiam : si enim unius ratio esset certa et evidens, ita illam alteri posset proponere, ut eius etiam intellectum tandem convinceret »[2]. Nec quicquam prodest in rebus difficilioribus suffragia numerare, cum probabilius sit a paucis, immo et ab uno, potius quam a tota communitate veritatem inveniri vel inventam[3]. Nec est, praeterea, quod multum Antiquis, propter eorum antiquitatem tribuamus, sed nos melius iis sumus antiquiores dicendi : nam et senior est nunc temporis mundus, et maiorem rerum experientiam quam illi possidemus[4]. Nec multum insuper faciendum est fidei

[1] *De Meth.* II. (AT. VI, 545.)
[2] *Reg.* II. (AT. X, 363.)
[3] *De Meth.* II et *Reg.* III. (AT. VI, 549 ; X, 367.)
[4] *Opuscules.* (AT. X, 204.)

eorum qui supremi nuncupantur ingenii, quia veritas non minus valet cum a vulgari detegitur quam dum ab Aristotele proditur vel Platone : pari prorsus modo ac pecunia eumdem enascitur valorem, dum e marsupio rustici educitur et dum ex publico aerario profertur [1].

Hinc est quod Gassendo postea ex auctoritate argumentanti Cartesius respondet : « Meminisse debuisses, o caro, te hic affari mentem a rebus corporeis sic abductam, ut nequidem sciat ullos unquam homines ante se extitisse, nec proinde ipsorum authoritate moveatur » [2].

* * *

Ad facultates quapropter quae in nobis sunt devenientes, quatuor, prout iam innuimus, Cartesius assignat : Sensus, nempe, et naturalem instinctum, memoriam et intellectum.

A sensibus, sive internis sive externis, sumamus exordium. Procedendi autem rationem Cartesius ipsemet indicat dum scribit : « Primo quidem apud me hic repetam quaenam illa sint quae antehac, ut sensu percepta, vera esse putavi, et quas ob causas id putavi ; deinde etiam causas expendam propter quas easdem postea in dubium revocavi ; ac denique considerabo quid mihi nunc de iisdem sit credendum » [3].

Et ad data continuo procedens : « Primo itaque, inquit, sensi me habere caput, manus, pedes, et membra caetera ex quibus constat illud corpus, quod tanquam mei partem, vel forte etiam tanquam me totum spectabam ; sensique hoc corpus inter alia multa corpora versari, a quibus variis commodis vel incommodis

[1] *Rech. de la Verité.* (AT. X, 498.)
[2] V. *Resp.* (AT. VII, 361.)
[3] VI. *Med.* (AT. VII, 74.)

affici potest, et commoda ista sensu quodam voluptatis, et incommoda sensu doloris metiebar. Atque, praeter dolorem et voluptatem, sentiebam etiam in me famem, sitim, aliosque eiusmodi appetitus ; itemque corporeas quasdam propensiones ad hilaritatem, ad tristitiam, ad iram, similesque alios affectus ; foris vero, praeter corporum extensionem, et figuras, et motus, sentiebam etiam in illis duritiem, et calorem, aliasque tactiles qualitates ; ac praeterea lumen, et colores, et odores, et sapores, et sonos, ex quorum varietate caelum, terram, maria, et reliqua corpora ab invicem distinguebam »[1].

Argumenta vero sequuntur : « Nec sane, refert, absque ratione, ob ideas istarum omnium qualitatum quae cogitationi meae sese offerebant, et quas solas proprie et immediate sentiebam, putabam me sentire res quasdam a mea cogitatione plane diversas, nempe corpora a quibus ideae istae procederent ; experiebar enim illas absque ullo meo consensu mihi advenire, adeo ut neque possem obiectum ullum sentire, quamvis vellem, nisi illud sensus organo esset praesens, nec possem non sentire cum erat praesens.

« Cumque ideae sensu perceptae essent multo magis vividae et expressae, et suo etiam modo magis distinctae, quam ullae ex iis quas ipse prudens et sciens meditando effingebam, vel memoriae meae impressas advertebam, fieri non posse videbatur ut a meipso procederent. Quarum rerum cum nullam aliunde notitiam haberem quam ex istis ipsis ideis, non poterat aliud mihi venire mentem quam illas iis similes esse.

« Atque etiam quia recordabar me prius usum fuisse sensibus quam ratione, videbamque ideas quas ipse effingebam non tam expressas esse quam illae

[1] *Ibidem.* (AT. VII, 74-5.)

erant quas sensu percipiebam, et plerumque ex earum partibus componi, facile mihi persuadebam nullam plane me habere in intellectu, quam non prius habuissem in sensu.

« Non enim sine ratione (adiungit) corpus illud, quod speciali quodam iure meum appellabam, magis ad me pertinere quam alia ulla arbitrabar : neque enim ab illo poteram unquam seiungi, ut a reliquis ; omnes appetitus et affectus in illo et pro illo sentiebam ; ac denique dolorem ac titillationem voluptatis in eius partibus, non autem in aliis extra illud positis, advertebam. Cur vero ex isto nescio quo doloris sensu quaedam animi tristitia, et ex sensu titillationis laetitia quaedam consequatur, curve illa nescio quae vellicatio ventriculi, quam famem voco, me de cibo sumendo admoneat, gutturis vero ariditas de potu, et ita de caeteris, non aliam sane habebam rationem, nisi quia ita doctus sum a natura ; neque enim ulla plane est affinitas (saltem quam ego intelligam) inter istam vellicationem et cibi sumendi voluntatem, sive inter sensum rei dolorem inferentis, et cogitationem tristitiae ab isto sensu exortae. Sed et reliqua omnia, quae de sensuum obiectis iudicabam, videbar a natura didicisse : prius enim illa ita se habere mihi persuaseram, quam rationes ullae quibus hoc ipsum probaretur expendissem »[1].

Prouti de facili patet in iis adducendis pro sensuum et instinctus valore testimoniis veterem, quam vulgarem ipse vocat, Cartesius secutus est Philosophiam, a qua nullo omnino dubio desumpsit. Obiecti enim indispensabilis praesentia, perceptorum prae imaginatis vividior impressio, intellectualis ad sensibilem

[1] *l. c.* (AT. VII. 75-76.)

perceptionem accommodatio, spontaneitas demum et quae sensuum internorum vel externorum obiectivitatem unicuique denuntiat connaturalitas, argumenta pro ipsorum veritate Philosophiae traditionali perpetuo in usu fuerunt.

Ad memoriae similiter data et argumenta transeamus. Et primo quidem facultatis intellectivae, quae memoria vel reminiscentia nuncupatur, actus praeteritos esse sive intellectus sive voluntatis retinere ac demum reproducere credimus. Sic in ordine intelligibilium, propositiones quas semel percepimus vel consideravimus, iudicia quae de rebus tulimus, scientias quoque quas didicimus. In ordine autem rationalis appetitus, praeteritas retinet volitiones et momenta pariter propter quae in appetendo determinata est voluntas. Quae omnia, cum memoria reproducit, non modo rem antea perceptam exhibet, sed perceptionem etiam ut praeteritam denuntiat. Quia « non satis est (ut dicit Cartesius), ut alicuius rei recordemur, quod illa res menti nostrae antehac observata sit, reliquerit-que nonnulla in cerebro vestigia, quorum occasione ipsa eadem cogitationi nostrae iterum occurrit ; sed insuper requiritur, ut agnoscamus, cum secunda vice occurrit, hoc ideo fieri, quod antehac a nobis fuerit percepta »[1].

Hinc fit quod in scientiis, quibus pedetentim et quasi per partes veritatem attingimus, memoria nobis prius cognita et stabilita ita exhibet, ut pro principiis conclusiones praeteritas sumentes magis et magis cognitio nostra promoveatur.

At qui in argumentis adducendis propter quae sensibus fidem praestavimus abundantem nimis se

[1] *Lettres*, 29 juillet 1648. (AT. V, 219-20.)

exhibuit, dum ad reminiscendi facultatem pervenit, momenta quibus nititur, nec summis fere labiis tangit. Dicere quidem posset ipsa natura doctos illius nos denuntiationibus confidere, quia ipsam, non minus quam ceteras alias facultates in verum ordinatam a natura credidimus ; cum quia non valemus in eadem consideratione longius manere defixi, tum quia nec plures uno ictu amplecti possumus cogitationes : innato cui tamen defectui consonans erat ut natura perfectione memoriae subveniret. Nam reminiscendi facultas non modo utilis est, sed et in vita hominum necessaria quam maxime : sicut enim in rebus agendis, summi est momenti praeterita recordari ut praesentia perfectius impleamus, sic et in artibus habitas observationes penitus in mentibus inhaerere necesse est ut de die in diem in melius promoveamur : in scientiis autem, quia multis et inter se collatis veritatibus coadunantur, aliaque ex parte primam relinquere cogimur ut ad alterius considerationem veniamus : quae enim antea conclusio fuit, principii nunc tenet locum ad ulteriora patefaciens ingressum.

Sed Cartesius, inquam, nullum affert pro memoriae fide argumentum, et si quod in eius operibus invenire est, ipsa naturalis, quam dixi, atque inexplicata inclinatio omnium locum obtinet.

Sicut sensibus, instinctui ac memoriae, aequo etiam modo intellectui confisi sumus. Sic, ex. c., dum tres et duo simul iunctos quinque efficere significat, atque omnem effectum sui causam praesupponere. Similiter dum in sensuum contentione pro quo sit standum iudicat, vel dum propriam ideam anteponit sensus perceptioni : taliter in casibus illis pervulgatis, quo iudicium tactus sequendum potius quam oculi testimonium, dum de baculo in aqua immerso agitur, vel quo iudicium intel-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

lectus prae testimonio sensus dum de corpore valde distanti ambo denuntiant [1]. Intellectui pariter credimus cum in procedente homine Paulum agnoscimus, accidentia licet tantummodo attingamus, et dum subter sensibilibus ac transeuntibus cerae qualitatibus, eius substantiam quae una perseverat apprehendimus. Testimonio insuper intelligentiae sive omnis scientia, quae maxime a sensu remota considerat, sive omnis ars, quae de maxime generalibus tractat regulis, fulcitur.

Sed nec pro valore intellectualis huius operationis latiori quam pro memoria Cartesius oratione diffunditur. Dicamus tamen, quia haec supponunt quas deinde faciet incursiones, eius veracitatem sive naturae, quae nihil facit frustra, sapientiam, sive ipsius vim facultatis proclamare. Non enim alium finem intellectui esse videmus praeter hanc consecutionem veritatis : et dum nihil persequitur nisi verum, veritatem infallibiliter attingere propterea iudicamus. Accedit etiam quod non modo spontaneitate quadam ducimur ad verum quod ipse attingit tenendum, sed etiam ut saepius quae cogitat pro certis et indubitabilibus iudicemus ignota sed fatali necessitate sumus coacti.

§ 3. — Recognitionis instrumenta.

Ad examen modo et facultates has et quibus hactenus tenebantur revocans argumenta, ut aedificiorum, sic et scientiarum et certitudinis duplex admittere criterium firmitatis oportet : factum scilicet et suspicionem vel hypothesim.

Domus aliqua in ruinam dicitur prona cum ex altera parte labat, vel probabilis eventus nequit impetum sustinere. Scientifica nova inventio ut infirma

[1] VI. *Resp.* et III *Med.* (AT. VII, 438-9 ; *id.* 39.)

reicitur et improbata, si vel ex ipsius effectibus non satis stabilitur vel a probabili etiam ficta, sed nondum infirmata, positione labefactatur.

Et bene quidem quod in domibus construendis certi sint limites infra summam soli firmitatem, ultra quos progredi extra humanos usus videatur, varii et illi iuxta diversam molis construendae magnitudinem : humiliores enim domus non minus tuto super ipsam arenam imponuntur, quam super firmam petram turres altiores [1]. Bene pariter quod in scientificis, quae dicuntur, modernis inventionibus comprobandis termini quidam sint, ultra quos progredi pretium operis esse non solet : quia harum valor relativus et quasi temporarius est, et propterea non nisi ad ea quae usque ad tempus prodierunt, quibusque progressus pergit scientiae, rationem habent.

« Sed falsissimum est, in fundamentis Philosophiae statuendis, tales esse aliquos dubitandi limites infra summam certitudinem, in quibus prudenter ac secure conquiescere possimus. Cum enim veritas in indivisibili consistat, potest contingere, ut quod non agnoscimus esse summe certum, quantumvis probabile appareat, sit plane falsum ; nec sane ille prudenter philosopharetur, qui ea scientiae omnis poneret fundamenta, quae cognosceret esse fortasse falsa » [2]. Ideo « nulla cognitio, quae dubia reddi potest, videtur scientia appellanda » [3].

Factum igitur infirmat cognoscitivi criterii testimonium : infirmat quoque hypothesis. Labefactatur ergo criteriorum quorumlibet fides vel si ea in errorem ducere deprehenderimus, vel si allata etiam ficta positione, cuius falsitas non ostendatur, valore quocumque destituitur.

[1] VII. *Resp.* (AT. VII, 548.)
[2] *Ibidem.* (*id.*)
[3] II. *Resp.* (AT. VII, 141.)

§ 4. — **Recognitio instituitur per postulatum primum.**

Est propterea huius recognitionis primum postulatum : Nullius valoris criterium illud habendum est quod nos vel semel fallit, si nullum prae se erroris vindicem ferat.

« Prudentiae est, inquit Cartesius, nunquam illis plane confidere, qui nos vel semel deceperunt » [1]. « Notandum etiam te plane non videri intelligere, o caro (facete Gassendo scribit), quidnam sit ratione uti, quandoquidem, ut probes sensuum fidem mihi non debere esse suspectam, dicis : etsi aliquando non utens oculo visus sim ea sentire quae sine oculo non sentiuntur, me tamen non esse semper expertum eandem falsitatem ; tanquam si non sufficiat ad dubitandum, quod errorem aliquando deprehenderimus ; et tanquam si fieri posset ut semper, quoties fallimur, adverteremus nos falli, cum e contra in hoc ipso error consistat, quod a nobis sub specie erroris non advertatur » [2]. Et similiter : « Manifeste ostendis, habet postea, te praeiudiciis tantum uti, nunquamque illa exuere, cum velis nos in iis, in quibus falsitatem nunquam deteximus, nullam falsitatem suspicari... Nullam enim habes ratione existimandi omnia in quibus error esse potest, iam olim a te fuisse animadversa ; et facile probari posset te in iis interdum falli quae certa esse sic admittis » [3].

Quod quidem, ita stabilitum, recognitionis primo adhibentes instrumentum, plures fuisse in quibus

[1] I. *Med.* (AT. VII, 18.) ; Similiter I. *Princ.*, 4. (AT. VIII, 6) et passim.

[2] V. *Resp.* (AT. VII, 354.)

[3] *Ibidem.* (AT. VII, 385-6.)

sensus nostri inciderint errores iam videmus. « Multa paulatim experimenta (refert Cartesius) fidem omnem quam sensibus habueram labefactarunt ; nam et interdum turres, quae rotundae visae fuerant e longinquo, quadratae apparebant e propinquo, et statuae permagnae, in eorum fastigiis stantes, non magnae a terra spectanti videbantur ; et talibus aliis innumeris in rebus sensuum externorum iudicia falli deprehendebam. Nec externorum duntaxat, sed etiam internorum ; nam quid dolore intimius esse potest ? Atqui audiveram aliquando ab iis, quibus crus aut brachium fuerat abscissum, se sibi videri adhuc interdum dolorem sentire in ea parte corporis qua carebant »[1].

Nec rationes illas quae sensibus fidem vindicarant, alicuius esse momenti iudicandum est. Nam, in primis, nihil facit quod eorum perceptiones a voluntate nostra non dependeant. Anima enim non quatenus est in singulis membris, sed tantum quatenus est in cerebro ea quae corpori in membris accidunt ope nervorum percipit. Porro sensationem potest percipere tamquam si esset recepta in quibusdam membris, ubi tamen nulla pro momento recipitur, sed in aliis per quae nervi transeunt cum cerebro communicantes. Ita in casu modo allato de iis qui dolorem sentiunt vel sentire existimant in membris quibus iam privantur :

[1] VI. *Med.* (AT. VII, 76-7.) — « Cum puellae cuidam, manum gravi morbo affectam habenti, velarentur oculi quoties Chirurgus accedebat, ne curationis apparatu turbaretur, eique post aliquot dies brachium ad cubitum usque, ob gangraenam in eo serpentem, fuisset amputatum, et panni in eius locum ita substituti, ut eo se privatam esse plane ignoraret, ipsa interim varios dolores, nunc in uno eius manus quae abscissa erat digito, nunc in alio se sentire querebatur. » (IV *Princ.*, 196. — AT. VIII, 320.)

nervi qui prius e cerebro ad membrum illud descendebant, quique post amputationem alibi terminantur, eodem modo ibi moventur ac antea cum ad membrum abscissum pertingebant : ex quo fit quod eamdem in anima impressionem gignant [1]. Igitur, est forsan in nobis alia licet adhuc incognita facultas, a qua illae, a voluntate mea minime dependentes sensationes possunt, praeter sensus, produci.

Nihil etiam iuvat, quam diximus, expressior et magis dintincta claritas. Nam sunt quidam taliter affecti homines, qui asserere non dubitent, immo nec iurare reformident, se vel vacuum aliquod in corpore, vel membrum magnitudinis monstruosae, falso existimantes, possidere [2] ; alii autem, qui constanter atque indubitanter asserant se reges esse, pauperrimi cum sint, vel purpura indutos, cum sint nudi [3].

Nec maioris momenti habenda est ratio illa quae ex intellectus ad sensus accommodatione procedit. Tum quia saepe denuntiantes sensus ad invicem, uti innuimus, discrepant, ac intellectus est inter utramque perceptionem seligere et iudicare [4] ; tum quia non semel alia

[1] Cf. VI. *Med.* (AT. VII, 77) et IV *Princ.*, 196. (AT. VIII, 319 sqq.)

[2] *Rech. de la Vérité.* (AT. X, 511.)

[3] I. *Med.* (AT. VII, 19.)

[4] « ...Cum itaque dicitur baculum apparere fractum in aqua ob refractionem, idem est ac si diceretur, eo illum modo nobis apparere, ex quo infans iudicaret illum fractum esse, et ex quo etiam nos, secundum praeiudicia quibus ab ineunte aetate assuevimus, idem iudicamus. Quod autem hic additur, nempe illum errorem non intellectu, sed tactu corrigi, non potest a me concedi : quia, etsi ex tactu baculum rectum esse iudicamus, idque eo iudicandi modo, cui ab infantia sumus assueti, quique idcirco sensus vocatur, non tamen hoc sufficit

plane est a sensus testimonio intellectus idea : sic « duas diversas solis (inquit Cartesius) ideas apud me invenio : unam tanquam a sensibus haustam, et quae maxime inter illas quas adventitias existimo est recensenda, per quam mihi valde parvus apparet, aliam vero ex rationibus Astronomiae desumptam, hoc est ex notionibus quibusdam mihi innatis elicitam, vel quocumque alio modo a me factam, per quam aliquoties maior quam terra exhibetur ; utraque profecto similis eidem soli extra me existenti esse non potest, et ratio persuadet illam ei maxime esse dissimilem, quae quam proxime ab ipso videtur emanasse »[1]. Sed invenitur etiam, quod si bene perpendatur, corpora ipsa, quae nos sensibus percipere incunctanter censebamus, realiter non a sensibus sed ab intellectu percipiuntur. Consideremus, ex. gr., unam e rebus illis quae vulgo putantur omnium distinctissime comprehendi : sumamus hanc ceram, nuper e favis eductam : aliquid adhuc retinet mellis saporis, atque odoris florum e quibus est collecta : eius color, eius figura, magnitudo quoque manifesta sunt : dura est, frigida est, et si articulo feriatur, sonum emittet. Dum autem sic loquimur, igni admoveatur : nihil remanet pristini saporis, nec odoris, nec coloris, nec figurae, nec etiam magnitudinis : modo liquida est, calida est, nec si pulses emittet quemquam sonum :

ad errorem visus emendandum, sed insuper operae est, ut aliquam rationem habeamus, quae non doceat credendum esse hac de re iudicio ex tactu, potius quam iudicio ex visu, elicito : quae ratio, cum in nobis ab infantia non fuerit, non sensui, sed tantum intellectui est tribuenda. Atque ideo in hoc ipso exemplo solus est intellectus, qui sensus errorem emendat ; nec ullum unquam afferri potest, in quo error ex eo contingat, quod mentis operationi magis quam sensui fidamus. » (VI. *Resp.* — AT. VII, 438-9.)

[1] III. *Med.* (AT. VII, 39.)

quaecumque videbamus, remota sunt, et manet attamen eadem cera. Quid igitur, nisi quod cera, et alia similiter corpora, non sensu nec imaginatione, sed intellectu tantum percipiuntur ? [1].

Demum contemnendum quoque est postremum ex instinctu et naturae inclinatione desumptum argumentum. Non enim raro in iis erramus etiam ad quae ipsa natura impellimur. Exemplum in hydropico sitiente possidemus : tunc quippe ipsius naturae positivo impetu, illi ad conservationem ut credebamus praestito, in potum qui est illi nociturus fertur [2]. Sed quilibet experiri potest ad multa simili vi impelli quae ratio ipsa dissuadet [3], et cum de bono eligendo agitur, non semper, si impetus sequamur naturales, in meliorem partem perducimur [4]. Minuitur quoque huius inclinationis valor, si attendimus nos in multa ferri non quidem, ut saepius putamus, duce ipsa natura, sed consuetudine ac repetitis actibus confirmato instituto [5].

Contra memoriae etiam auctoritatem ipsi eius errores primo exstant. Satis enim frequenter experimur quam multarum rerum obliviscimur quae pridem memoriae commendavimus : saepe in rebus agendis regularum et experientiae transit recordatio et tales denuo invenimur quales fuimus ab initio. Non semel pariter velut antea percepta et memoriae commissa occurrunt quaedam quae, si attentius examinamus, prima nunc temporis vice sese offerre conspicimus.

[1] II. *Med.* (AT. VII, 30 sqq.) Cf. II. *Resp.* (AT. VII, 132.)
[2] Cf. VI. *Med.* et II. *Resp.* (AT. VII, 84 et 143.)
[3] VI. *Med.* (AT. VII, 77.)
[4] III. *Med.* (AT. VII, 39.)
[5] VI. *Med.* (AT. VII, 82.)

« In hoc autem, scribit Cartesius, frequentissime erramus, quod multa putemus a nobis olim fuisse percepta, iisque memoriae mandatis, tanquam omnino perceptis assentiamur, quae tamen revera nunquam percepimus »[1]. Inde fit ut communi loquendi usu alios tenacissimae dicamus memoriae, alios bonae, alios vero minus bonae, segnis etiam et infirmissimae reliquos. Cartesius de se candide fatetur : « Ego sane ... non raro vel cogitandi celeritate, vel distincte imaginandi facilitate, vel memoriae capacitate atque usu, quosdam alios aequare exoptavi »[2].

Ex quo iam apparet quaenam sint in scientiarum aedificatione consequentiae : fieri etenim potest, nec evenit raro, ut pro perspectis et probatis quasdam propositiones concedamus, quae nondum probatae sunt et forsan falsae inveniuntur, et, principiorum loco adhibitis, ad ulteriores conclusiones procedamus, quae maiorem firmitatem cum non obtineant, totius scientiae constructio labefactatur.

De erroribus autem intellectus, longo sermone antecedenter disseruimus. Sufficiat ergo, cum Cartesio vetera colligentes, monere quod aliquando, circa res ipsas Geometriae facillimas errant nonnulli et paralogismos non raro committunt : porro nihil nobis cautionem praestat in quo alii deficiunt nos deficere non posse[3].

Quid autem post talem criticam remanet ?

Eius semel admisso momento, certum quidem est multa sive sensuum, sive instinctuum, sive memoriae

[1] I. *Princ.* 44. (AT. VIII, 21.)
[2] *De Meth.* I. (AT. VI, 540.)
[3] *De Meth.* IV. (AT. VI, 558.)

sive intellectus testimonia necessario et pro semper infirmari : sed non ideo cuiuslibet istorum criteriorum data omnia.

« Quamvis interdum, observat Cartesius, sensus circa minuta quaedam et remotiora nos fallant, pleraque tamen alia sunt de quibus dubitari plane non potest, quamvis ab iisdem hauriantur : ut iam me hic esse, foco assidere, hyemali toga esse indutum, chartam istam manibus contrectare, et similia. Manus vero has ipsas, totumque hoc corpus meum esse, qua ratione posset negari ? »[1]. Certe quidem sunt aliqui quorum tam contumax vapor ex atra bile cerebella labefactat, ut falso haec et similia sibi persuadeant : « sed amentes sunt isti, nec minus ipse demens viderer, si quod ab iis exemplum ad me transferrem »[2].

Memoria similiter, minori praecipue ubertate ornatos, non raro circa plurima fallit : sed non propterea credendum est, in his etiam qui debiliorem possident, circa quaedam maioris momenti vel magis personalia. tantam infirmitatem pati : nullus est etenim ad talem gradum hebes ut proprii nominis, vel patriae vel natalis loci umquam obliviscatur : nullus qui quorumdam usum et factorum omnimodam et absolutam conscientiam ullo amittat tempore.

Et quod ad intellectum refert indubitatum quidem est nos interdum falli, nec proprii, in quem incidimus errorem, de facili compotes fieri : attamen aliquando non minus certum est nos verum intelligere et de quibuslibet iudiciis nos plane non posse dubitare : sic cum duo tribus iuncta quinque efficere percipio, vel quadrati considero latera, et huiusmodi plura intellego.

[1] I. *Med.* (AT. VII, 18.)
[2] *Ibidem.* (AT. VII, 19.)

§ 5. — **Recognitio instituitur per postulatum alterum.**

Sed utrum haec ipsamet alteri resistant recognitionis instrumento perpendamus.

Sonat autem sic : Pro dubia habenda est quaelibet propositio cuius veritas aliqua nondum improbata positione infirmetur.

« Quia iam ratio persuadet (habet Cartesius), non minus accurate ab iis quae non plane certa sunt atque indubitata, quam ab aperte falsis assensionem esse cohibendam, satis erit ad omnes (meas opiniones) reiiciendas, si aliquam rationem dubitandi in unaquaque reperero »[1]. Et alibi : « Statim atque aliquid a nobis recte percipi putamus, sponte nobis persuademus illud esse verum. Haec autem persuasio si tam firma sit ut nullam unquam possimus habere causam dubitandi de eo quod nobis ita persuademus, nihil est quod ulterius inquiramus... »[2]. Est autem ratio quia : « ad recte philosophandum non opus est ut ea omnia quae non admittimus, quia ignoramus an sint vera, probemus falsa esse ; sed tantummodo esse summopere cavendum ne quid ut verum admittamus, quod non possimus probare verum esse »[3].

Unde in Reg. : « Omnis scientia, inquit, est cognitio certa et evidens ; neque doctior est qui de multis dubitat, quam qui de iisdem nunquam cogitavit, sed nihilominus eodem videtur indoctior, si de aliquibus falsam concepit opinionem ; ac proinde nunquam

[1] *Ibid.* (AT. VII, 18.) Cf. VII. *Resp.* (*id.* 553.)

[2] I. *Resp.* (AT. VII, 144.) Cf. VII, *Obiect.* (*id.* 460) et I. *Princ.* 1. (AT. VIII, 5.)

[3] V. *Resp.* (AT. VII, 354.)

studere melius est, quam circa obiecta adeo difficilia versari, ut, vera a falsis distinguere non valentes, dubia pro certis cogamur admittere, cum in illis non tanta sit spes augendi doctrinam, quantum est periculum minuendi. Atque per hanc propositionem reiicimus omnes illas probabiles tantum cognitiones, nec nisi perfecte cognitis, et de quibus dubitari non potest, statuimus esse credendum » [1].

a) *Somnii hypothesis.*

Duas adhibet Cartesius in examen positiones. Prima est fictio somnii.

Homines sumus et noctu dormire solemus. Porro quae in somniis dormientibus apparent nullo modo putamus vera esse : si igitur infallibile non adsit signum quo somnia a vigilia distinguere valeamus, quae vigilantes apprehendimus non meliori donanda sunt gratia.

At praecise non satis innotescit huius distinctionis instrumentum : nam saepe eamdem experti sumus evidentiam et non semel, vigilantibus nobis, somniare nihilominus existimavimus. Quomodo scire possumus, nos, totam vitam dum agimus, inintermissum somnum non dormire ? [2].

[1] *Reg.* II. (AT. X, 362.) — « De iis tantum quae mihi nota sunt, iudicium ferre possum. » (II. *Med.* — AT. VII, 27.) Cf. IV. *Resp.* (*id.* 248-9).

[2] « Vous ne sçauriés trouver mauvais que je vous demande si vous n'estes pas sujet au sommeil, ainsy que tous les hommes, & si vous ne pouvés pas, en dormant, penser que vous me voyés, que vous vous promenés en ce jardin, que le soleil vous esclaire, & bref toutes les choses dont vous croyés maintenant estre tout assuré. N'avés vous jamais ouy ce mot d'estonnement dedans les comedies : Veille-je, ou si je dors ? Comment pouvés-vous estre certain que vostre vie n'est pas un songe

« Quae, notat Cartesius, dum cogito attentius, tam plane video nunquam certis indiciis vigiliam a somno posse distingui, ut obstupescam, et fere hic ipse stupor mihi opinionem somni confirmet »[1]. Et in Methodo : « Inquirant, inquit, praestantissima quaeque ingenia quantum libet, non puto illos rationem aliquam posse invenire, quae huic dubitandi causae tollendae sufficiat »[2].

Quaenam autem huius positionis consequentiae ?

« Quia notabam, nullam rem (scribit ipse) unquam nobis veram videri dum vigilamus, quin eadem etiam dormientibus possit occurrere, cum tamen tunc semper aut fere semper sit falsa : supposui nulla eorum quae unquam vigilans cogitavi, veriora esse quam sint **ludibria somniorum** »[3].

Sed gradatim procedamus.

Et primo quidem veritatem sensuum atque instinctus infirmari satis elucet in iis quoque quae ex praecedente recognitione integra remanserunt. « Quam frequenter usitata ista, me hic esse, toga vestiri, foco assidere, quies nocturna persuadet, cum positis vestibus iaceo inter strata ! »[4]. Quam etiam frequenter capite vel alio corporis membro dolere dormientes natura denuntiat : vel habere quoque alia corpora, attingere

continuel, & que tout ce que vous penses apprendre par vos sens n'est pas faux, aussy bien maintenant comme lorsque vous dormés ! » (*Rech. de la Vérité*. — AT. X, 511).

[1] I. *Med.* (AT. VII, 20.) — « Nulla sic dubitanti signa apparent, quibus somnum a vigilia certo dignoscat. » (I. *Princ.*, 4 — AT. VIII, 6.)

[2] *De Meth.* IV. (AT. VI, 562.)

[3] *Ibidem*. (AT. VI, 558.)

[4] I. *Med.* (AT. VII, 19.)

alia sidera, et aliam terram, quae tamen omnia sunt falsa ! [1].

Nec dicas me non semper dormire sed multoties vigilare. Quomodo enim probas ? « Videor (inquit Claubergius) mihi in somnis vigilare et non somniare, cum tamen somniem. Et contra divus Petrus existimabat se somniare cum vigilaret, Angelumque videret se ex carcere ducentem » [2].

At non modo ea quae ad sensus attinent, quaeque in phantasia conservantur et imaginibus corporeis per somnium iterum reddunt, positio attingit, sed memoriae quoque et intellectus terminos ingreditur. Potest enim somnians et somnium suum cum vita anteacta cohaerere secum cogitare, quin revera cohaereat [3] ; potest quoque rationis ductus virtute quaedam percipere obiectiva realitate potiri, quin propterea vera vel exsistentia sint dicenda [4]. Sed unde scimus « eas cogitationes quae occurrunt dormientibus potius falsas esse quam illas quas habemus vigilantes, cum saepe non minus vividae atque expressae videantur ? » [5].

« Age ergo somniemus, nec particularia ista vera sint, nos oculos aperire, caput movere, manus extendere,

[1] Cf. *De Meth.* IV. (AT. VI, 561.)

[2] Claubergius, *De Dubitatione Cartesiana*, cap. VI (*Opera omnia*, pag. 1162.) — « La seconde raison de doute, devenue également classique, c'est que notre vie sensible se partage en deux moitiés : pendant le sommeil, nous croyons voir des hommes, des animaux, des plantes, un monde de réalités qui n'est cependant qu'un monde d'idées ; pourquoi notre veille ne serait-elle pas une sorte de songe mieux lié ? » (Fouillée, 86.)

[3] III. *Resp.* (AT. VII, 196.)

[4] I. *Med.* (AT. VII, 20.)

[5] *De Meth.* IV. (AT. VI, 561.)

nec forte etiam nos habere tales manus, nec tale totum corpus ; tamen profecto fatendum est visa per quietem esse velut quasdam pictas imagines, quae non nisi ad similitudinem rerum verarum fingi potuerunt ; ideoque saltem generalia haec, oculos, caput, manus, totumque corpus, res quasdam non imaginarias, sed veras existere. Nam sane pictores ipsi, ne tum quidem, cum Sirenas et Satyricos maxime inusitatis formis fingere student, naturas omni ex parte novas iis possunt assignare, sed tantummodo diversorum animalium membra permiscent ; vel si forte aliquid excogitent adeo novum, ut nihil omnino ei simile fuerit visum, atque ita plane fictitium sit et falsum, certe saltem ad minimum veri colores esse debent, ex quibus illud componant. Nec dispari ratione, quamvis etiam generalia haec, oculi, caput, manus, et similia, imaginaria esse possent, necessario tamen saltem alia quaedam adhuc magis simplicia et universalia vera esse fatendum est, ex quibus tanquam coloribus veris omnes istae, seu verae, seu falsae, quae in cogitatione nostra sunt, rerum imagines effinguntur. Cuius generis esse videntur natura corporea in communi, eiusque extensio ; item figura rerum extensarum ; item quantitas, sive earumdem magnitudo et numerus ; item locus in quo existant, tempusque per quod durent, et similia.

« Quapropter ex iis forsan non male concludemus Physicam, Astronomiam, Medicinam, disciplinasque alias omnes, quae a rerum compositarum consideratione dependent, dubias quidem esse ; atqui Arithmeticam, Geometriam, aliasque eiusmodi, quae non nisi de simplicissimis et maxime generalibus rebus tractant, atque utrum eae sint in rerum natura necne, parum curant, aliquid certi atque indubitati continere. Nam sive vigilem, sive dormiam, duo et tria simul iuncta

sunt quinque, quadratumque non plura habet latera quam quatuor ; nec fieri posse videtur ut tam perspicuae veritates in suspicionem falsitatis incurrant » [1].

b) *Genii deceptoris hypothesis.*

Hoc autem reliquum Cartesius novam [2] positionem an sustinere valeat tentat. Est percelebris illa, quae Dei vel Genii omnipotentis simul et fallacis dicitur.

« Verumtamen, ipse adiungit, infixa quaedam est meae menti vetus opinio, Deum esse qui potest omnia, et a quo talis, qualis existo, sum creatus. Unde autem scio illum non fecisse ut nulla plane sit terra, nullum coelum, nulla res extensa, nulla figura, nulla magnitudo, nullus locus, et tamen haec omnia non aliter quam nunc mihi videantur existere ? Imo etiam, quemadmodum iudico interdum alios errare circa ea quae se perfectissime scire arbitrantur, ita ego ut fallar quoties duo et tria simul addo, vel numero quadrati latera, vel si quid aliud facilius fingi potest ? At forte noluit Deus ita me decipi, dicitur enim summe bonus ; sed si hoc eius bonitati repugnaret, talem me creasse ut semper fallar, ab eadem etiam videretur alienum permittere ut interdum fallar ; quod ultimum tamen non potest dici » [3].

Et quia fictio haec pro divinitate contumeliosa videtur ac multi in iis quot verba tot blasphemias percipere vellent, Cartesius addit : « Essent vero fortasse nonnulli qui tam potentem aliquem Deum mallent

[1] I. *Med.* (AT. VII, 19-20.)

[2] « Novam » dicimus, quia somnii anteacta positio iam apud veteres invenitur. Cf. Arist. IV, *Met*,. c. VI, et S. Thomam, in loco. (Edit. Coll. Angelici, n. 708.)

[3] I. *Med.* (AT. VII, 21.)

negare, quam res alias omnes credere esse incertas. Sed iis non repugnemus, totumque hoc de Deo demus esse fictitium ; at seu fato, seu casu, seu continuata rerum serie, seu quovis alio modo me ad id quod sum pervenisse supponant : quoniam falli et errare imperfectio quaedam esse videtur, quo minus potentem originis meae authorem assignabunt, eo probabilius erit me tam imperfectum esse ut semper fallar »[1]. Et clarius postea : « Supponam igitur non optimum Deum, fontem veritatis, sed genium aliquem malignum, eundemque summe potentem et callidum, omnem suam industriam in eo posuisse, ut me falleret »[2].

« Suspicio haec, exclamat Liard, dubitationem cumulat »[3] et putat Garnier omnia prorsus deperdita, si Cartesio facta hypothesis concedatur[4]. Verum priusquam ultra procedamus quaenam sit fictionis significatio diligenti studio inquirere necesse est.

* * *

Quaeritur igitur : nova adducta positione, intenditne Cartesius criteriorum naturali capacitati obicem *in exercitio*, ut probet an insuperabilis sit, afferre ? aut

[1] *Ibidem.* (*id.*)

[2] *Ibid.* (AT. VII, 22.)

[3] « Un tel soupçon comble le doute. » (LIARD, *op. l.*, 150.)

[4] « L'hypothèse du malin génie ... est, de toutes ses raisons de douter, celle qui a soulevé les plus vives objections. M. Garnier entre autres n'a pas pardonné à Descartes de faire si belle, à ce qu'il semble, la part du scepticisme. Tout est perdu, à l'en croire, si l'on fait une telle concession : il sera impossible de reprendre plus tard ce qu'on a témérairement accordé : on ne peut revenir sur ses pas quand on a franchi ce Rubicon de la philosophie : il faut laisser toute espérance. » (BROCHARD, *Descartes : Le Discours de la Méthode*, Paris, Alcan, 1917, p. 94.)

eorum ipsam vult *fundamentalem* capacitatem dispicere? Est autem summi momenti distinctio, nec in hoc, quantum sciam, substitit interpretum nemo.

Duplicem enim, quod maxime notandum est, positio obtinere valet interpretationem : vel enim agitur de Deo seu Genio potentissimo, vel e contra de creatore, qui fatum est, vel casus, vel aliud nescio quid imperfectissimum.

Cartesii porro mens hic inde passim convertitur.

« Quantum ad scientiam Athei, habet in VI Resp., facile est demonstrare illam non esse immutabilem et certam. Ut enim iam ante dixi, quo minus potentem originis suae authorem assignabit, tanto maiorem habebit occasionem dubitandi, an forte tam imperfectae sit naturae, ut fallatur etiam in iis quae sibi quam evidentissime apparebunt »[1]. Et alibi ; « Cum authorem meae originis adhuc ignorarem, vel saltem ignorare me fingerem, nihil videbam obstare quominus essem natura ita constitutus ut fallerer, etiam in iis quae mihi verissima apparebant »[2].

Attamen, si certum est atque indubitatum ad causam nostram imperfectissimam non semel, contra adversantes praecipue, Cartesium aufugere, indubitatum quoque ac certum est alium esse universaliter eius in positione animum. Ad quid, ni taliter res se habeat, deceptor continuo invocatur potentissimus? « Infixa, inquit, quaedam est meae menti vetus opinio, Deum esse qui omnia potest » ; « Supponam non optimum Deum..., sed genium aliquem malignum, eundemque summe potentem... ». Unde paulo post : « Manebo, subddit, obstinate in hac meditatione defixus,

[1] VI. *Resp.* (AT. VII, 428.)
[2] VI. *Med.* (AT. VII, 77.)

atque ita, siquidem non in potestate mea sit aliquid veri cognoscere, at certe hoc quod in me est, ne falsis assentiar, nec mihi quidquam ipse deceptor, *quantumvis potens*, *quantumvis callidus*, possit imponere, obfirmata mente cavebo »[1]. Et iterum : « Quid autem nunc, ubi suppono deceptorem aliquem potentissimum, et, si fas est dicere, malignum, data opera in omnibus, *quantum potuit*, me delusisse ? »[2]. Et in Med. III : « Quoties haec, inquit, praeconcepta *de summa Dei potentia* opinio mihi occurrit, non possum non fateri, siquidem velit, facile illi esse efficere ut errem, etiam in iis quae me puto mentis oculis quam evidentissime intueri »[3].

Non est igitur sensus, quantum ego iudico, ab imperfecta causa tam imperfectos effectus nos esse ortos, quod omni prorsus, radicali nempe, ad verum damnati simus imbecillitate ; est autem quod Deus, a quo facultatem illam nacti sumus, vel genius aliquis, omnipotens qui fingitur, tali pro libitu suo in nos fallendos occupari industria, ut scopum illum, ad quem sumus dispositi, amplius attingere non valeamus.

At prior illa interpretatio, quia locum in operibus Cartesii obtinet, suam etiam efficaciam et opportunitatem conservat, cuius propterea memoriam non semel in subsequentibus faciemus.

[1] I. *Med.* (AT. VII, 23). — « Sed est deceptor nescio quis, summe potens, summe callidus, qui de industria me semper fallit. » « Quid autem nunc, ubi suppono deceptorem aliquem potentissimum, et, si fas est dicere, malignum, data opera in omnibus, quantum potuit, me delusisse ? » (II. *Med.* — AT. VII, 25 et 26.)

[2] II. *Med.* (AT. VII, 26.)

[3] III. *Med.* (AT. VII, 36.)

* * *

Quisnam huius sint positionis exitus, nemo est iam qui non videat : Cartesius arguit : « Putabo (quod ad sensus et instinctum pertinet) coelum, aërem, terram, colores, figuras, sonos, cunctaque externa nihil aliud esse quam ludificationes somniorum... : considerabo meipsum tanquam manus non habentem, non oculos, non carnem, non sanguinem, non aliquem sensum, sed haec omnia me habere falso opinantem »[1].

Nihil pariter eorum quae memoriae commendavimus, indubitatum remanet. Quis enim memoriae tenacissimum quemque, sive praeteritas simpliciter auferendo, sive novis ideis commutando, Genium illum potentissimum posse fallere dubitat? Sed alia est in doctrina cartesiana profundior exstirpatio : nonne veritas a creatore Deo vel a Genio omnipotenti, sicut alia quaelibet res non pendet? Et ita quidem, ut sine illo et eius libera voluntate non sit ; dein pariter ut nec etiam conservetur. Momenta etenim temporis ab invicem omnino independentia sunt, nec propterea quod exsistit modo, subsequenti quoque momento credendum est futurum. Deus igitur, vel quilibet omnipotens supponatur, ita se habet ad quascumque veritates non modo ac se tenet architectus ad aedificium quod erexit, vel pater ad filium, quem genuit : ambo enim causae sunt secundum fieri tantum ; verum esse et subsistere vel conservari pariter ipse moderatur : quem ad modum lucis et apparitionis et conservationis sol est una causa. Creatura omnis, ipsa quoque propterea veritas, sicut e nihilo est, ad nihilum sponte ac

[1] I. *Med.* (AT. VII, 22-3.)

per positivam tendit actionem [1], et verissima quae dicuntur axiomata a Dei voluntate et actione sive ut semel fuerint, sive ut semper conserventur, pendent : non aliter quam a Rege est quod ad eius virtutem

[1] « Etiamsi fuissem ab aeterno ac proinde nihil me prius extitisset, nihilominus, quia considero temporis partes a se mutuo seiungi posse, atque ita ex eo quod iam sim non sequi me mox futurum, nisi aliqua causa me quasi rursus efficiat singulis momentis... » (I. *Resp.* — AT. VII, 109). Et Gassendo : « Cum negas nos continuo causae primae influxu indigere, ut conservemur, negas rem quam Metaphysici omnes ut manifestam affirmant, sed de qua saepe illiterati non cogitant, quia tantum ad causas secundum fieri, non autem secundum esse, attendunt. Sic Architectus est causa domus et pater filii secundum fieri tantum, ideoque, cum opus absolutum est, potest absque istiusmodi causa remanere ; sed sol est causa lucis ab ipso procedentis, et Deus est causa rerum creatarum, non modo secundum fieri, sed etiam secundum esse, ideoque debet semper eodem modo influere in effectum, ut eundem conservet. Hocque aperte demonstratur ex eo quod explicui de partium temporis independentia, quodque frustra conaris eludere, proponendo necessitatem consecutionis quae est inter partes temporis in abstracto considerati ; de quo hic non est quaestio, sed de tempore, seu duratione rei durantis, cuius non negas singula momenta posse a vicinis separari, hoc est rem durantem singulis momentis desinere esse. Cumque ais, vim esse in nobis, quae ut perseveremus praestare sufficiat, nisi corrumpens causa superveniat, non advertis te creaturae tribuere perfectionem creatoris, quod nempe independenter ab alio in esse perseveret, ac creatori imperfectionem creaturae, quod nempe per positivam actionem tendere debeat in non ens, si quando velit efficere ut esse desinamus. » (V. *Resp.* — AT. VII, 369-70.)

Et in resp. ad Hyperaspistem : « Nec dubium est, si Deus cessaret a suo concursu, quin statim omnia quae creavit in nihilum essent abitura, quia, antequam creata essent et ipsis concursum suum praeberet, nihil erant... Nec Deus ostenderet potentiam suam esse immensam, si res tales efficeret, ut postea sine ipso esse possent ; sed contra, illam in hoc testaretur esse finitam, quod res semel creatae non amplius ab eo penderent. » (*Lettres*, août 1641. — AT. III, 429.)

lex in proprio et absoluto regno [1]. Potest igitur qui liberrime creavit, illa sua voluntate, qua in nos fallendos delectatur, quod semel verum perspeximus, ut non amplius verum sit facere, sicque dum memoriae fidimus in errorem exitiosum perducere.

Sed nec intellectum immobilem permanere, ipse positionis locus demonstrat. Cartesius, qui post somni fictionem, sive Arithmeticam, sive Geometriam, sive scientias reliquas, quae de rebus simplicissimis agunt magisque generalibus, ac utrum eae sint in natura parum curant, indubitatas invenerat, « nam sive vigilem, sive dormiam, aiebat, duo et tria simul iuncta sunt quinque, quadratumque non plura habet latera quam quatuor... », continuo et directe contra haec,

[1] « Ie ne laisseray pas de toucher en ma Physique plusieurs questions metaphysiques, & particulièrement celle-cy : Que les vérités mathématiques, lesquelles vous nommés eternelles, on esté establies de Dieu & en dependent entieremant, aussy bien que tout le reste des creatures. C'est en effait parler de Dieu comme d'un Iuppiter ou Saturne, & l'assuiettir au Stix & aus destinees, que de dire que ces verités sont independantes de luy. Ne craignés point, ie vous prie, d'assurer & de publier par tout, que c'est Dieu qui a establi ces lois en la nature, ainsy qu'un Roy establist des lois en son Royausme. » (*Lettres*, 15 avril 1630. — AT. I, 145.) « Vous me demandez *in quo genere causae Deus disposuit aeternas veritates*. Ie vous répons que c'est *in eodem genere causae* qu'il a creé toutes choses, c'est à dire *ut efficiens et totalis causa*. Car il est certain qu'il est aussi bien Autheur de l'essence comme de l'existence des creatures : or cette essence n'est autre chose que ces veritéz eternelles », (*Lettres*, 27 mai 1630. — AT. I, 151-2.) « Attendenti ad Dei immensitatem, manifestum est nihil omnino esse posse, quod ab ipso non pendeat : non modo nihil subsistens, sed etiam nullum ordinem, nullam legem, nullamve rationem veri et boni ; alioqui enim, ut paulo ante dicebatur, non fuisset plane indifferens ad ea creanda quae creavit. Nam si quae ratio boni eius praeordinationem antecessisset, illa ipsum determinasset ad id quod optimum est faciendum ;

fallacem Deum vel Genium malignum statuit. « Unde scio, inquit, illum non fecisse ut... quemadmodum iudico interdum alios errare circa ea quae se perfectissime scire arbitrantur, ita ego ut fallar quoties duo et tria simul addo, vel numero quadrati latera, vel si quid aliud facilius fingi potest ? » [1]. Et in Princ. : « Dubitabimus, scribit, etiam de reliquis, quae antea pro maxime certis habuimus ; etiam de Mathematicis demonstrationibus, etiam de iis principiis, quae hactenus putavimus esse per se nota : tum quia vidimus aliquando nonnullos errasse in talibus, et quaedam pro certissimis ac per se notis admisisse, quae nobis falsa videbantur, tum maxime, quia audivimus esse Deum, qui potest omnia, et a quo sumus creati. Ignoramus

sed contra, quia se determinavit ad ea quae iam sunt facienda, idcirco, ut habetur in Genesi, sunt valde bona, hoc est, ratio eorum bonitatis ex eo pendet, quod voluerit ipsa sic facere. Nec opus est quaerere in quonam genere causae ista bonitas, aliaeve, tam Mathematicae quam Metaphysicae, veritates a Deo dependeant ; cum enim causarum genera fuerint ab iis enumerata, qui forte ad hanc causandi rationem non attendebant, minime mirum esset, si nullum ei nomen imposuissent. Sed tamen imposuerunt : potest enim vocari efficiens, eadem ratione qua Rex est legis effector, etsi lex ipsa non sit res physice existens, sed tantum, ut vocant, ens morale. Nec opus etiam est quaerere qua ratione Deus potuisset ab aeterno facere, ut non fuisset verum, bis 4 esse 8, etc. ; fateor enim id a nobis intelligi non posse. Atqui, cum ex alia parte recte intelligam nihil in ullo genere entis esse posse, quod a Deo non pendeat, et facile illi fuisse quaedam ita instituere, ut a nobis hominibus non intelligatur ipsa posse aliter se habere quam se, habent, esset a ratione alienum, propter hoc quod nec intelligimus nec advertimus a nobis debere intelligi, de eo quod recte intelligimus dubitare. Nec proinde putandum est aeternas veritates pendere ab humano intellectu, vel ab aliis rebus existentibus, sed a solo Deo, qui ipsas ab aeterno, ut summus legislator, instituit. » (VI. *Resp.* — AT. VII, 435-6.)

[1] I. *Med.* (AT. VII, 21.)

enim, an tales nos creare voluerit, ut semper fallamur, etiam in iis quae nobis quam notissima apparent » [1].

Nulla propterea amplius manet veritas inconcussa et certa. « Suppono, igitur, omnia quae video falsa esse : credo nihil unquam extitisse eorum quae mendax memoria repraesentat ; nullos plane habeo sensus ; corpus, figura, extensio, motus, locusque sunt chimerae » [2]. Nulla scientiarum certitudo, nulla argumenta, nulla ratiocinia, nulla principia, quae omni suspicione exstent aliena atque omni difficultati sint extranea. « Quid igitur verum ? Fortassis hoc unum, nihil esse certi » [3].

Homo quem pœsim *Est et Non* legendam porrigentem, in somniis viderat, Cartesius erat ipsemet. Posita enim Dei vel Genii omnipotentis ac maligni fictione, nihil praeter idem initium : Est et Non, sibi in omnibus veri terminis relinquebat.

Ad locum illum e Corpore Poetarum : Quod vitae, scriptum erat, sectabor iter ? Cartesius respondet : Manebo obstinate in hac meditatione defixus, atque ita, siquidem non in potestate mea sit, omnipotente Genio adversante, veri aliquid ultra cognoscere, at, dum assensum cuilibet propositioni cohibeam, in quo infinitam libertatem experior, erroris omnis plenam absentiam adipiscar, quantumvis deceptor ille potens sit, quantumvis callidus [4]. Sic enim Poeta :

Qui dubitat non errat ; adhuc in utrumque paratus :
Error opinando, non dubitando venit [5].

[1] I. *Princ.* 5. (AT. VIII, 6.)
[2] II. *Med.* (AT. VII, 24.)
[3] *Ibidem.* (*Id.*)
[4] II. *Med.* (AT. VII, 23) ; I. *Princ.* 6. (AT. VIII, 6.)
[5] Owenus, cit. a. Claubergio, *De Dub. Cartes.* cap. I. (*Opera*, pag. 1132.)

CAPUT III

Dubii Cartesiani proprietates.

I

Praeviae notiones.

Dubium, quod adhesionis vel sententiae absentiam in iudicando subaudit, quodque praeter mentis statum, ob erroris formidinem, in neutram contradictionis partem declinantis, nihil significat, varias distinctiones nactum est admittere.

Quarum haec sit prima, vi cuius in *vulgarem* atque *scientificum* dispescitur. Horum notio ex comparatione ad certitudinem, cui opponuntur, satis liquebit. Dicitur autem in genere certitudo : assensus mentis alicui cognoscibili propter motivum de se omnem errandi formidinem excludens. Sed motivum hoc in assensum influere vel modo directo vel reflexo potest. Directe quidem influit cum certitudinem causat, absque eo quod ipsum veniat examinis vel scientificae considerationis obiectum : ita, ex. gr. certus infans est circa plura quae a parentibus audivit, et, cum humanum testimonium in iis quae historiam obtinent validum sit ac certum veritatis criterium, veram ac solidam cognitionem infans consequitur. Ignorat tamen ipse quaenam et quanta sint humanae auctoritatis vitia, nescit propterea quinam et quantus sit valor. Sapiens

vero qui humanae pariter testationis criterium admittit, et bene eius valorem, virtutem et condiciones noscit, non ideo adhaeret hominis depositioni, nude quia hominis depositio est, sed propterea quod talis est, testis, ut aiunt, qualificati, qui nec errare potest ipse nec alios nititur conducere in errorem. Vulgaris ergo vel directa factum et propositionem immediate tangit : motivum autem quasi praesupositive et indirecte. Sed reflexa vel scientifica, quae philosophica pariter dicitur certitudo, per se et primo criterium tangit, et secundario, quasi per redundantiam, ipsius obiectum.

Haud dissimiliter, dubium vulgare vel directum dicitur, cum est testimonii, propositionis et facti : assensus importat quidem cohibitionem, sed motivi valorem ad examen non revocat, quia ipsum testimonium vel factum superat. Scientificum vero est seu philosophicum vel reflexum, cum iudicii suspensio directe super ambitum motivi, quod ad examen appellat, versatur et cadit.

Altera dubii divisio in *positivum* et *negativum* venit. Primi generis illud est quod propter hinc et illinc rationes ponitur eiusdem aut fere eiusdem ponderis oblatas ; posterioris autem, quod ex carentia rationum sive pro uno sive pro altero litigantium gignitur. Quem ad modum aequilibrium in statera catilli servare possunt, vel quia eodem uterque gravatur, vel quia omni prorsus pondere ambo destituuntur.

Adiciunt aliqui tertium quod *mixtum* appellant, quodque paritur inde quod una adducat partium argumenta, eaque non firmissima, priusquam altera vadimonium sistat. Dubium autem hoc ad dubium negativum facile reducitur.

Iuxta dubitationis modum, in *ficticium* et *reale*

distribuitur tertio. Reale est, cum iudicii suspensio vere ac de facto adest : ficticium vero, cum, dum non adest, simulatur. Quia autem realitatem fictio non supprimit, sed illi superaddit, geminam efficit animi dubitantis condicionem : nam una ex parte, contradictarum uni propositionum adhaeret, ac ex altera tamquam ab illa certitudine penitus solutum se praebet [1]. At hic summopere cavendum est ne dubium ficticium cum dubio methodico confundatur. Quia, dato etiam, nec concesso [2], de facto methodicam quae ad scientiam in-

[1] Optime Card. MERCIER : « Lorsque nous doutons *réellement* que les planètes soient peuplées d'êtres doués de vie, notre état intellectuel est *simple*. Nous sommes dans l'*état de doute* par rapport à la proposition : Les planètes sont peuplées d'êtres doués de vie ; tout notre état d'*âme* consiste en ce doute, c'est-à-dire en une absence d'adhésion déterminée. Mais, dans le doute *méthodique* (lege : *fictif*), notre état intellectuel est *complexe*. Lorsque nous entreprenons la démonstration du 6me théorème Euclidien *comme si* la vérité en était douteuse pour nous, nous avons, d'une part, au fond de l'âme, la *persuasion ferme* que le théorème est vrai : soit que nous soyons habituellement sous l'empire d'une démonstration antérieure et dont le souvenir n'est pas complètement effacé de la mémoire, soit que nous ayons foi à l'autorité des mathématiciens pour lesquels les *Éléments d'Euclide* ont une valeur incontestée, ou que nous nous laissions guider par cette considération générale, implantée en nous par l'éducation, que tous les théorèmes d'Euclide sont à l'abri de la discussion, *nous croyons à la vérité* du 6me théorème que nous entreprenons de démontrer ; d'autre part, cependant, *nous doutons* de ce théorème, puisque nous prenons le souci de nous le démontrer ; nous en doutons parce que nous n'avons pas la *perception actuelle, distincte, de la raison intrinsèque* de sa vérité ni, par conséquent, de la suffisance du motif sur lequel repose l'assentiment habituel, implicite que nous lui accordons. » (MERCIER, *Critériologie générale*, Paris, Alcan, 1906, p. 69-70.)

[2] Cf. SENTROUL, *Doute « méthodique » et doute « fictif »*. Rev. des Sc. Philos. et Théolog., 1909, pp. 433 ss.

servit ficticiam semper esse dubitationem, ficticiamque similiter methodicam, non possent adhuc in ipsamet categoria indistincte numerari : cum haec scopum indicet, modum autem spectet illa [1].

Secundum limites demum vel extensionem quam obtinet, dubium *universale* est aut *particulare*. Universale, si quamlibet excludit certitudinem, vel criterium ; particulare, si determinatum solummodo cognitionis fontem, vel si intra determinatos veritatum terminos concluditur.

II

Dubium Cartesianum est scientificum.

Ad cartesianae dubitationis igitur dotes investigandas procedentes, illam primo scientificam esse seu non vulgarem est fatendum.

Patet iam ex perantiquo illo proposito, quo scientias instaurare decernit. Philosophia, nihil certum atque indubium praebebat : ceterae vero, cum ab ipsamet principia mutuentur, super tam infirmis fundamentis, nihil solidum et inconcussum superstruere potuerunt : instauratio erat proinde de novo tentanda ab imis sumendo inchoamentis. Et quia instabilitatis huius motivum et causa plurium artificum una fuit cooperatio detecta, de quibuslibet praehabitis opinionibus dubitandum manebat in melioris exitus subsidium.

[1] « Exactement comme ce serait mal diviser les hommes que de les diviser en blancs, rouges, jaunes, etc..., Africains, sous prétexte que — supposons qu'il en soit bien ainsi — tous les Africains, et les Africains seuls sont nègres ». (Sentroul, *l. c.* Rev. des Sc., 1909, p. 435.)

Quod intentum perpetuo tenuisse passim eius verba testantur : Sic in Methodo : « Quamvis istorum omnium (quod corpora habeamus, quod sint in caelo sidera ; quod sit terra, etc.) sit certitudo, inquit, ut loquuntur Philosophi, moralis, quae tanta est, ut nemo, nisi deliret, de iis dubitare posse videatur ; nemo tamen etiam, nisi sit rationis expers, potest negare, quoties de certitudine Metaphysica quaestio est, quin satis sit causae ad dubitandum..... » [1]. In IV autem Resp. : « Nisi certitudinem, scribit, vulgari maiorem quaesivissem, contentus fuissem ostendisse, in secunda Meditatione, Mentem ut rem subsistentem intelligi, quamvis nihil plane illi tribuatur... Nihilque amplius addidissem ad demonstrandum mentem realiter a corpore distingui : quia vulgo res omnes eodem modo se habere iudicamus in ordine ad ipsam veritatem, quo se habent in ordine ad nostram perceptionem » [2].

Comprobat etiam ipsa praxis. Non enim, uti advertimus, opiniones ipsas vel sententias prout in individuo exstant examinare prosecutus est, sed uno et primo impetu ipsa criteria, quibus omnia fulciuntur, tentatur. « Quia suffosis, refert (prouti vidimus), fundamentis, quidquid iis superaedificatum est sponte collabitur, aggrediar statim ipsa principia, quibus illud omne, quod olim credidi, nitebatur. Nempe, quidquid hactenus ut maxime verum admisi, vel a sensibus vel per sensus accepi ; hos autem interdum fallere deprehendi... » [3].

Ex quo fit ut per totum eius processum non tam sensuum, instinctus, memoriae atque intellectus data, quam has ipsas, quibus nobis innotescunt, facultates probet et examinet. Ac si non amplius sensibus atque

[1] *De Meth.* IV. (AT. VI, 561.)
[2] AT. VII, 226.
[3] I. *Med.* (AT. VII, 18.)

instinctui credendum censet, ratio est quia et sensus et instinctus saepe fallaces inveniuntur, et in somniis eadem nobis possunt occurrere, quae vigilantes accipere olim per sensus atque instinctum putabamus. Et si non amplius memoriae et rationi fidendum decernit, hoc uno ducitur argumento, quod memoria et ratio saepe fefellerunt et insuper a tali causa producti forsan vel vexati sumus ut nulla supersit nobis, licet fundamentaliter detur, verum attingendi facultas.

Ceterum hunc modum numquam problema criteriologicum excessit. Sceptici et dogmatici qui dicuntur omnes admittunt plures esse in unoquoque nostrum certitudines spontaneas et directas : quaestio autem inter hos et illos agitata, non ipsam certitudinem, sed certitudinis attingit fundamenta. Certitudo ab omnibus pariter admittitur : de ipsius valore tantum et momento inter utrosque disceptatur. « Problema, habet Card. Mercier, tunc praecise exsurgit, cum super nostris conscientiae statibus reflectentes, an, petimus, reflexio philosophica spontaneas adhaesiones confirmet : utrum, aliis verbis, hunc animae naturalem, quem certitudinem dicimus, assensum, demonstrabilem vel demonstratum, etiam vel non, detegat »[1]. Unde Claubergius : « Dum quaerimus, inquit,

[1] « Le scepticisme digne de discussion ne va pas jusqu'à tout contester. Pour le sceptique comme pour nous, la nature est en possession d'assentiments certains ; pour lui, comme pour nous, il y a des *états de conscience* dont l'existence, au moins phénoménale, est absolument indubitable ; ce sont les données du problème sur lequel lui et nous sommes appelés à nous prononcer. Le problème surgit, tout juste au moment où, réfléchissant sur nos états de conscience, nous nous demandons si la réflexion confirme nos adhésions spontanées ; en d'autres mots, si elle peut, oui ou non, trouver justifiable et justifié l'assentiment naturel de l'âme que nous appelons certitude. » (Mercier, *op. l.* 39.)

an ulla detur naturalis luminis certitudo, an detur scientia inter homines omni falsitatis suspicione carens, an sensus principia cognoscendi sint satis firma, etc., omnia illa solum intellecta volumus in ordine ad nudam contemplationem rerum Philosophicarum, neutiquam vero in ordine ad vitam agendam et praxim quotidianam quasi in rebus agendis ac faciendis diffidere sensibus velimus ac dubitare, num panem comedamus, an carbones, an carnes, utrum vigilemus, an somniemus, an habeamus manus et pedes, necne, etc. Merito enim sic dubitantes ludibrio essemus toti mundo, sicuti omnibus sapientibus risui habentur calumniatores, qui dubitationem nostram ita interpretantur »[1].

III

Dubium Cartesianum est reale.

Ad modum nunc cartesianae dubitationis venientes, non ita esse determinatu facilem sicut prior fuit dos, aequum est ut in ipso limine fateamur. Verba ipsa Cartesii confusa satis sunt, nec uno intelligunt sensu veteres et moderni commentatores.

Fuerunt enim in primis qui dubium ficticium suspicarentur. Ita Gassendus : « Quicquid dixeris, habet, nemo erit, qui persuadeatur te esse persuasum, nihil esse verum ex iis omnibus quae cognoveris ; ac tibi perpetuo vel sensum, vel somnium, vel Deum, vel cacodaemonem imposuisse »[2]. Atque unus ex II Obi. auctoribus : « Memineris te, inquit, non actu quidem

[1] Claubergius, *De Dubit. Cartesiana*, c. I (*Opera*, p. 1137.) — Cf. V et VII *Resp.* (AT. VII, 350-1, 459-60.)

[2] V. *Obi.* (AT. VII, 258.)

et revera, sed tantum animi fictione, corporum omnium phantasmata pro viribus reiecisse, ut te solam rem cogitantem esse concluderes, ne postea forte concludi posse credas, te revera nihil esse praeter mentem aut cogitationem, vel rem cogitantem » [1].

Realem dubitationem alii existimarunt. In his Huetius : « Veram autem esse ac seriam, scribit, dubitationem hanc, non ficticiam et iocularem, ex rerum ipsarum arcessitarum natura, non ex dubitandi tantum argumentis petitam, nec animi gratia adhibitam, ipsemet declarat Cartesius » [2]. Simili prorsus modo Arnauld, qui ad meliores revocabat sensus dum aiebat : « Vereor ne quosdam offendat liberior haec philosophandi ratio, qua omnia revocantur in dubium. Et sane Author ipse testatur in Methodo, mediocribus ingeniis hanc viam esse periculosam ; fateor tamen hanc invidiam in Synopsi mitigari. Verumtamen haud scio an aliqua praefatiuncula haec Meditatio praemuniri debeat, qua significetur de iis rebus serio non dubitari, sed ut, iis aliquantisper sepositis quae vel minimam et hyperbolicam, ut Author ipse vocat alio in loco, dubitandi occasionem relinquunt, aliquid ita firmum et stabile reperiri possit, ut de eo ne pervicacissimo quidem liceat vel tantillum dubitare. Unde etiam fit, ut loco illorum verborum : quod cum Authorem meae originis ignorarem, reponendum censerem : ignorare me fingerem » [3].

Recentiorum pariter opiniones hac de re minime concordant. Putant aliqui de dubio ficticio apud Cartesium quaestionem agi : inter quos Günther et

[1] II. *Obi.* (AT,. VII, 122.)
[2] Huet, *Censura Philos. Cartesianae*, Neapoli, 1728, p. 9.
[3] IV. *Obi.* (AT. VII, 214-5.)

Papst [1], Kleutgen [2], Zigliara [3], Sentroul [4], et Chollet [5] : Alii dubitationem realem suffragantur et inter hos citandi sunt Gioberti [6], Gonzalez [7], Liberatore [8], Mercier [9], Hugon [10], Hamelin [11] et Liard [12]. Sunt etiam nonnulli qui rem adhuc sub lite positam autumant nec facilem iudicatu : sic Pesch [13], Balmes [14], Farges [15], et Jeannière [16].

Et quidem non est, ut superius diximus, infitiandum plura in Cartesii scriptis occurrere loca ubi modo dubium reale, modo ficticium intendere videtur. « Carte-

[1] *Euristh. u. Heracles*, S. 237 ss. *Janusk.* S. 2 ss. (cit. a Kleutgen, *op. l.* I, 433.)

[2] Kleutgen, *l. c.* I, 5, 432 sq., 452 sq.

[3] Zigliara, *Summa Philos.*, Paris, Beauchesne, 1912, vol. I, p. 208.

[4] Sentroul, *l. c.*, 446.

[5] Art. *Descartes*, in Dict. de Th. Cath., IV, 538.

[6] Gioberti, *Introduzione allo studio della filosofia*, Capolago, 1845-6. I, 287.

[7] Gonzalez, *Estudios sobre la filos. de Sto Tomás*. Manila, 1864. I, 102, 546 ; *Histor. de la Filosofia*, Madrid, 1879, III, p. 44 ss.

[8] Liberatore, *Institutiones Philosophicae*, Prati, 1881, I, 228. — *Della Conoscenza Intellettuale*, Napoli, 1879, I, 70.

[9] Mercier, *l. c.*, 71. Pariter in comm. « *Pourquoi le doute méthodique ne peut être universel* », R. Neo-Scolast., 1897, p. 182 ss.

[10] Hugon, *Cursus Phil. Thom.*, Paris, Lethielleux, 1903, I, 286.

[11] Hamelin, 108.

[12] Liard, *op. c.*, 143.

[13] Pesch, *Instit. logicales*, Friburgi in Br., Herder, 1888-1890, III, 431.

[14] Balmes, *Fil. Fundamental*, Barcelona, 1860, I, 101.

[15] Farges, *La crise de la certitude*, Paris, Berche, 1908, p. 340 ; *La philos. de Descartes*, Paris, Feron, 1917, p. 9.

[16] Jeannière, *l. c.*, 152.

sius, observat Balmes, eodem quo reformatores ceteri est periculo versatus. Propria infixi cogitatione, ipsam taliter exprimunt ut praeter illam nullam aliam tolerare videantur. Certamen praevident quod pugnaturi sunt, discrimen forsan antecedenter experiuntur : hinc fit ut vires omnes in illam partem intendant cuius victoriam prosequuntur, omneque quod extraneum illi est ab oculis amittant »[1]. Veterem demoliri philosophiam Cartesius volebat, eiusque super ruinis novam, quae erat eius, instaurare : hac cogitatione penitus animus intentus nec elocutionis perspicuitatem attendit, nec adversariorum obiectiones quantum valerent animadvertit.

Et sane pro dubio ficticio exstant primo ipsiusmet Cartesii verba. Ordinarie quippe his vel similibus locutionibus exoritur : *supposui, imaginavi, finxi, fingere volui*. « Supponam, habet in Med. I, non optimum Deum, fontem veritatis, sed genium aliquem malignum... »[2]. « Suppono, scribit in altera, omnia quae video falsa esse »[3]. Et in Methodo : « Quia notabam,

[1] « Descartes se encontró en el caso de todos los reformadores. Están dominados de una idea : y la expresan tan fuertemente, que al parecer no consienten otra a su lado. Todo en su lenguaje es absoluto, exclusivo. Prevén la lucha que habrán de sostener, quizás la experimentan ya ; y así concentran toda su fuerza en la idea cuyo triunfo se proponen, y llegan a perder de vista todo lo que no es ella. No se puede inferir que el reformador no tenga otras que modifiquen notablemente la principal ; mas para hacer frente a sus adversarios que le dicen : esto es absolutamente falso, él dice : ésto es absolutamente verdadero. La historia y la experiencia nos presentan innumerables ejemplos de estas exageraciones. La idea dominante de Descartes era arruinar la filosofía que a la sazón reinaba en las escuelas ; y daba el impulso tan fuerte que hacía temblar el mundo. » (BALMES, *op. cit.*, I, 102.)

[2] AT. VII, 22.

[3] AT. VII, 24.

ait, nullam rem unquam nobis veram videri dum vigilamus quin eadem etiam dormientibus possit occurrere, cum tamen tunc semper aut fere semper sit falsa, supposui nulla eorum quae unquam vigilans cogitavi, veriora esse quam sint ludibria somniorum »[1].

Adsunt quoque graviora et locupletiora testimonia. Non enim temeraria suspicio fuit Arnauldi, quam vidimus, animadversio. Martinus Schoockius in impugnatione cui titulus *Admiranda Methodus Novae Philosophiae Renati des Cartes*, sequentia scripserat : « Cognovi hominem cum Vaninio [2] paria facere et dum videri vult Atheos Achilleis argumentis oppugnare, subdole ac admodum occulte Atheismi venenum iis affricare, qui anguem in herba latitantem prae ingenii imbecillitate ubique deprehendere non possunt »[3] ; et alibi : « Atheismi muros, dum subvertere Cartesius laborat, fulcit (legimus) ac aedificat »[4].

Voetius quoque, vir in theologicis doctus atque Ultraiectinae Universitatis Rector, in libro, quem de Philosophia Cartesiana composuit, Cartesium atheismum docere et propagare explicitis verbis asseruit : « Vaninus, habet, scribebat contra Atheos, ipse Atheorum maximus : similiter Cartesius. Vaninus iactabat iis argumentorum machinis se obfirmatos Atheorum animos pulsare, contra quas nullum pertinaciae scutum aut clypeus consistere posset : similiter Cartesius. Vaninus antiqua et vulgata argumenta tribu submovere, et in eorum loco sua reponere satagebat : idem omni studio et conatu Cartesius agit »[5].

[1] *De Meth.* IV. (AT. VI, 558.) Cf. I. *Med.* (AT. VII, 19.)

[2] « En ce temps-là, Vanini était le type du philosophe athée ; on l'avait brûlé à Toulouse. » (ADAM, 337.) Cf. *id.* 82.

[3] Cit. apud AT. VIII, B, 5, *c.*

[4] Cit. *ibidem*, 173 *a.*

[5] Cit. in *Ep. ad Voetium.* (AT. VIII, B, 174-5.)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Nimii erat negotii res ut quietus et sedatus Cartesius permaneret. « Notandum est, respondet, hoc esse antiquum et inveteratum maledictum, quod iam a te per multos annos, pertinaci calumnia, in me coniectum fuisse audivi, ac etiam ex libellis tuis *de Atheismo* anno 1637 editis facile perspexi » [1]. Et postea : « Nemo, inquit, non mirabitur absurditatem impudentiae vestrae : quamvis enim ista quatuor vera essent, quod nempe scripserim contra Atheos, et meas rationes pro optimis venditarim, quae duo verissima esse prae me fero ; quodque antiqua et vulgata argumenta reiiciam, et mea elumbia et ficulnea deprehendantur, quae duo sunt falsissima : non tamen inde sequeretur me Atheismi, non dicam reum, sed suspectum esse debere » [2]. Luculentius autem in Epistola Apologetica : « Expresse Schoockius declaravit verba affirmantia quod subdole atque admodum occulte Atheismi venenum aliis affrico, esse ab alia manu quam sua, id est, a scelerata illa manu, de qua supra loquutus est. At praecipue questus sum de illis verbis, quod atrocissimam et omni supplicio dignam contineant calumniam, et iuxta leges certum crimen sit determinandum ei qui queritur in iudicio... » [3]. Ac in Notis in Programma : « Monebo hic ... secundo, inquit, me nunquam etiam docuisse, Deum esse negandum, vel ipsum nos posse decipere, vel de omnibus esse dubitandum, vel fidem omnem sensibus abrogandam, vel somnum a vigilia non distinguendum, vel similia, quae a calumniatoribus imperitis aliquando mihi obiecta sunt ; sed omnia ista expressissimis verbis reiecisse, validissimisque argumentis, imo etiam ausim addere, validioribus quam ab ullo ante me refutata fuerint, refutasse. Quod,

[1] *Ibid.* (*id.* 173.)
[2] *Id.* (p. 175).,
[3] AT. VIII, B, 309

ut commodius et efficacius praestarem, proposui, initio Meditationum mearum, ista omnia tanquam dubia, quae non a me primum fuerunt inventa, sed a Scepticis dudum decantata. Quid autem iniquius, quam tribuere alicui scriptori opiniones, quas eo fine tantum refert ut ea refutet ? Quid ineptius, quam fingere, saltem illo tempore, quo istae falsae opiniones proponuntur et nondum refutantur, eas doceri ; atque ideo illum, qui refert Atheorum argumenta, esse Atheum temporarium ? ..... quandoquidem in eodem libro, in quo ipsas retuli, omnes refutavi ; atque ex ipso libri titulo potuit intelligi, me ab iis credendis esse plane alienum, quandoquidem in eo demonstrationes de Dei existentia promittuntur. Estne aliquis adeo stolidus, ut existimet eum, qui talem librum composuit, ignorare, dum primas eius paginas exarat, quid in sequentibus demonstrandum susceperit ? » [1].

Materia controversiae satis est clara : dixerat Cartesius de quibuslibet prius habitis dubitandum : Dei quoque exsistentia ac veracitate non exclusis. Si realis dubitatio proposita intelligitur, impietatis crimen incurrit et atheismi. A pari si in illa non fuit impius Cartesius neque atheus, quam inducit, generalis dubitatio non realis sed ficticia esset dicenda. Porro irreligionis notam Cartesius tamquam calumniam atrocissimam reicit!

Quodnam vero est huius expostulationis momentum? Haec alia verba ex epistola ed Buitendijck responsum praebent : « Ternas in litteris, quas ad me scribere dignatus es, quaestiones invenio... Prima est, utrum de Deo dubitare unquam liceat, hoc est utrum naturaliter liceat de existentia Dei dubitare. Qua in re

[1] AT. VIII, B, 366-8.

existimo distinguendum esse in dubitatione, inter id quod ad intellectum, atque id quod ad voluntatem pertinet. Nam quantum ad intellectum, quaeri non debet utrum aliquid liceat, necne, quandoquidem non est facultas electiva, sed solum an possit. Et quidem certum est permultos esse quorum intellectus de Deo dubitare potest ; et in hoc numero ii omnes qui existentiam eius evidenter demonstrare nequeunt, quanquam alioqui vera fide praediti sint ; fides enim ad voluntatem pertinet, qua separata, potest fidelis naturali ratione examinare an sit Deus aliquis, atque ita de Deo dubitare. Quantum vero ad voluntatem, distinguendum est etiam inter dubitationem, quae finem, et eam quae spectat media. Si quis enim sibi pro scopo proponat, dubitare de Deo, ut in hac dubitatione persistat, graviter peccat, dum vult in re tanti momenti pendere in dubio. Verum si quis dubitationem proponat tanquam medium ad clariorem veritatis cognitionem assequendam, rem facit omnino piam et honestam, quia nemo potest velle finem, quin velit simul media... Neque etiam is peccat, qui propter eundem finem totam, quam de Deo habere potest, cognitionem ex animo ad tempus summovet ; neque enim tenemur indesinenter cogitare, quod Deus existat... Altera quaestio est, utrum liceat quicquam falsi in iis, quae Deum spectant, supponere. Ubi distinguendum est inter verum Deum clare cognitum, et falsos Deos ; vero enim Deo clare cognito, non solum non licet, imo neque fieri potest ut mens humana quicquam falsi possit tribuere... Verum falsis numinibus..., imo et vero Deo confuse tantum cognito, aliquid falsi ex hypothesi tribuere, bonum esse potest aut malum, prout finis, propter quem fit ista hypothesis, bonus est aut malus... Ita igitur is qui fingit Deum deceptorem, (etiam verum Deum, sed neque a se, neque ab aliis, quorum gratia hanc hypothesim insti-

tuit, satis clare cognitum), et qui hac fictione in malum finem non abutitur..., sed solum ad intellectum magis illustrandum... ; is, inquam, minime peccat, ut bonum eveniat, quia nihil est plane malitiae in hoc, sed rem facit absolute bonam, neque potest illum quisquam, sine calumnia, reprehendere »[1].

Quaestio igitur circa dubium de Dei exsistentia et attributis et quidem, quia absonum foret alioquin discrimen salutis advertere, circa dubitationem realem agitatur. Cartesius respondet inter cognitionem naturalem et fidei apprime distinguens : si agitur de dubio intra limites cognitionis naturalis, licitum est dum est possibile ; possibile autem, dum Deum clare et evidenter non cognoscimus. Si autem de dubio intra terminos fidei, quae in doctrina cartesiana semper penes voluntatem est, licitum pariter venit, utile dum sit : dum in bonum nempe finem assumatur ; hoc in casu rem plane bonam facit quis, nec sine calumnia potest atheismi nota reprehendi.

Propterea licet tanti criminis, si crimen est, Cartesium egomet reum non habeam (noverat enim in primis paginis quid dicendum haberet in sequentibus, ac Dei exsistentia et perfectiones tali forsan ab initio evidentia enituerunt ut cuilibet dubitationi nulla maneret amplius possibilitas), hoc unum : in eius doctrina dubium reale de Deo commendatum haberi, censeo tenendum ; ac proinde nullius puto esse valoris contra veterem, quam dicit accussationem, asseverationem praedictam.

Accedit quod Cartesius apud Iesuitas philosophicis doctrinis eruditus, Scholae methodum sive in libris sive in disputationibus traditionalem noverat : sciebat ideo vulgatam et receptam praxim, qua, per contrariorum argumentorum productionem, dubium ante theseos

[1] *Lettres*, 1643 ? (AT. IV, 62-4.)

enodationem pariebatur. *Utrum anima sit spiritualis*, en quaestio. *Videtur quod non, quia... At in contrarium est quod..... Respondeo dicendum.....*, en processus. Summam Theologicam S. Thomae Aquinatis apud se retinuit et evolvebat frequenter [1] ; noverat igitur quanam ratione ipsam Dei exsistentiam Angelicus Doctor tentavisset : « Utrum Deus sit. — Ad tertium sic proceditur : Videtur quod Deus non sit (et adducit argumenta) » [2]. Ex quibus procedens : estne possibile, inquam, Cartesium, qui alias suas doctrinas nec semel in fidem et tutelam ecclesiasticorum, theologorum ac Sanctorum Patrum commisit [3], contra huius impugnatores praxim communem non adduxerit ? S. Thomae praesertim, cuius illis diebus ad summum fuit auctoritas evecta ? [4].

[1] « Du reste, scribebat Patri Mersenne, ie ne suis point si depourvû de livres que vous pensez, & i'ay encore icy une Somme de S. Thomas, & une Bible que i'ay aportée de France. » (*Lettres*, 25 déc. 1639. — AT. II, 630.)

[2] *Summa Theol.* pars I, quaest. II, art. 3.

[3] Ita, ex. c. ; « Pour ceux qui disent que Dieu trompe continuellement les damnéz, & qu'il nous peut aussi continuellement tromper, ils contredisent au fondement de la Foy & de toute notre creance, qui est que *Deus mentiri non potest* ; ce qui est repeté en tant de lieux dans S. Augustin, S. Thomas & autres, que ie m'estonne que quelque Theologien y contredise... » (*Lettres*, 21 avril 1641. — AT. III, 359-60.) « Ie vous suis bien obligé de ce que vous m'aprenez les endroits de S. Augustin, qui peuvent servir authoriser mes opinions... ; & i'ay tres grande satisfaction de ce que mes pensées s'accordent avec celles d'un si sainct & si excellent personnage. » (*Id.*, 2 mai 1644. — AT. IV, 113.) « Pour ce que i'ay escrit de la liberté, il est conforme a ce qu'en a aussy escrit avant moy le R. Pere Gibieuf, et ie ne crains pas qu'on m'y puisse rien objecter. » (*Id.*, 23 juin 1641. — AT. III, 385-6.) Cf. etiam *II* et *IV Resp.* (AT. VII, 142, 219.)

[4] Praeter summum, quo fuit in Tridentina Synodo honore

Sed adsunt quoque maioris ponderis rationes.

Prima ex ipsa, quam in dubitando difficultatem comperit, desumitur. « Assidue, scribit, recurrunt consuetae opiniones, occupantque credulitatem meam tanquam longo usu et familiaritatis iure sibi devictam, fere etiam me invito ; nec unquam iis assentiri et confidere desuescam, quamdiu tales esse supponam, quales sunt revera, nempe aliquo quidem modo dubias? »[1]... « Claudam nunc oculos, habet postea, aures obturabo, avocabo omnes sensus, imagines etiam rerum corporalium omnes vel ex cogitatione mea delebo, vel certe, quia hoc fieri vix potest, illas ut inanes et falsas nihili pendam »[2]. Dissertius adhuc : « Quoties haec praeconcepta, refert, de summa Dei potentia opinio mihi occurrit, non possum non fateri, siquidem velit, facile illi esse efficere ut errem, etiam in iis quae me puto mentis oculis quam evidentissime intueri. Quoties vero ad ipsas res, quas valde clare percipere arbitror, me converto, tam plane ab illis persuadeor, ut sponte erumpam in has voces : fallat me quisquis potest, nunquam tamen efficiet ut nihil sim, quandiu me aliquid esse cogitabo ; vel ut aliquando verum sit me nunquam fuisse... »[3].

Valet similiter labor quem pro ceteris maiorem recognoscit. « Peto, scribit, ut lectores advertant, quam debiles sint rationes, ob quas sensibus suis hactenus crediderunt, et quam incerta sint omnia iudicia quae illis superstruxerunt ; idque tam diu et tam saepe apud se

prosecutus, ubi *Summa Theologica* Sacris venerat admota Litteris, anno 1567 a PP. Pio V universalis Ecclesiae Doctor renuntiabatur.

[1] I. *Med.* (AT. VII, 22.) Cf. II. *Med.* (*id.* 23-24.)

[2] III. *Med.* (AT. VII, 34.)

[3] *Ibid.* (AT. VII, 36.)

revolvant, ut tandem consuetudinem acquirant non amplius ipsis nimium fidendi. Hoc enim necesse iudicio ad certitudinem rerum Metaphysicarum percipiendam »[1]. Et relate ad I Medit. in qua de dubio instituendo agebat : « Vellem, ait, ut lectores non modo breve illud tempus, quod ad ipsam evolvendam requiritur, sed menses aliquot, vel saltem hebdomadas, in iis de quibus tractat considerandis impenderent, antequam ad reliqua progrederentur : ita enim haud dubie ex ipsis longe maiorem fructum capere possent »[2]. Simile etiam quid in ipsa praefatione pro lectione Principiorum efflagitat[3]. Sed ad quid instantia haec magna, ad quid tanta diligentia, si de dubio mere ficticio sermo est, quod ceteri in scholis doctores quotidiano more adhibebant, quod collegiorum studiosi ab ipsa philosophiae inauguratione, nullo prorsus conatu, nulla adhibita provisione, in usu semper habuerunt ?

[1] II. *Resp.* (AT. VII, 162.)

[2] *Ibidem*. (AT. VII, 130.)

[3] « I'aurois aussi adjousté un mot d'advis touchant la façon de lire ce Livre, qui est que je voudrois qu'on le parcourust d'abord tout entier ainsi qu'un Roman, sans forcer beaucoup son attention, ny s'arreter aux difficultez qu'on y peut rencontrer, afin seulement de sçavoir en gros quelles sont les matieres dont j'ay traitté ; & qu'apres cela, si l'on trouve qu'elles meritent d'estre examinées, & qu'on ait la curiosité d'en connoistre les causes, on le peut lire une seconde fois, pour remarquer la suitte de mes raisons ; mais qu'il ne se faut pas derechef rebuter, si on ne la peut assez connoistre partout, ou qu'on ne les entende pas toutes ; il faut seulement marquer d'un trait de plume les lieux où l'on trouvera de la difficulté, & continuer de lire sans interruption jusques à la fin ; puis, si on reprend le Livre pour la troisieme fois, j'ose croire qu'on y trouvera la solution de la pluspart des difficultez qu'on aura marquées auparavant ; & que, s'il en reste encore quelques-unes, on en trouvera enfin la solution en relisant » (*Principes*, Préface. — AT. IX, B, 11-12.).

Realem pariter dubitationem expostulat quae ipsius fuit, ut vidimus, occasio. Ideo de omnibus dubitandum Cartesius ab initio secum statuit, quia nihil certum in libris, nec in itineribus, nec in scholis didicerat : unam post tot labores cognitionem obtinuit, certam atque evidentem notitiam acquisisse nullam et omnem spem melioris scientiae esse in posterum amittendam : Philosophiam nihil inconcussum possidere, ceteras autem disciplinas super ipsam fundatas eius infirmitati communicare. Si autem unus est causarum simul atque effectuum ordo, vel fictam et falsam, quam sui animi depingit, speciem credimus, vel realem et veram dubitationem consequentem admittimus.

Adest etiam quod de iis tantum quae dubia et incerta sunt, Cartesius, prouti vidimus, aggressus sit dubitare. Si unam ficticiam dubitationem fuisset prosecutus, nulla difficultas quod ad ipsa, quae vera demonstrata sunt, extendi poterat. Cum Gassendus : Vide, opponebat, quod ut dubia duxeris omnia, necesse tibi fuit fingere Deum deceptorem, aut nescio quem malum Genium... [1], responsum sequens a Cartesio consequebatur : « Velles ut simpliciter ac paucis verbis, hoc est perfunctorie tantum id (dubitationem nempe), effecissem. Quasi scilicet tam facile sit omnibus se erroribus liberare quibus ab infantia imbuti sumus... Ubi enim ais opus non esse Deum fingere deceptorem, neque nos somniare, nec talia, Philosophus putasset sibi addendam esse rationem cur illa non possint in dubium revocari ; vel, si nullam habuisset, ut revera nulla est, id non dixisset » [2].

[1] V. *Obi.* (AT. VII, 258.)

[2] V. *Resp.* (AT. VII, 348-9.) Optime Hamelin : « Le nom classique du doute de Descartes, c'est *doute méthodique*, et il nous

Ac insuper realem dubitationem exigunt quae ipsam explicant et moderantur argumenta. Sensus aliquando vere fefellerunt ; pluries naturalem instinctum re fallacem comperti sumus ; saepe in rebus quoque geometricis et facillioribus homines errare ac paralogismos admittere de facto invenimus. Sed nullam cogitandi rationem habemus omnia in quibus error exsistere potest a nobis iam esse deprehensa, atque semper, in quibus veritatem invenisse existimamus, in iis praecise advertimus erravisse. Dum igitur nulla adsit cautio pro veritate ab errore secernendo, realiter a iudicando abstinere debemus. Quia etiam inter dormiendum experimur multa quae possunt vigilantibus accidere nec ullum quo somnum a vigilia distinguamus in promptu possidemus instrumentum, non magis fidendum iis, quae vigilantibus occurrunt, quam iis quae dormientes experiuntur. Ac demum quia talis forsan auctor noster exsistit vel adversarius, qui omnipotentiam suam et industriam totus in nos fallendos ponat, cum tantam non simus nacti virtutem ut eius astutias evadamus, dubitandum nobis de omnibus est usque dum eius bonitas et veracitas pro manifesto sint compertae [1].

indique avec force que le doute cartésien n'est pas la même chose que le doute des sceptiques... Mais il faut se garder de porter la différence à l'absolu et de voir dans le doute de Descartes un artifice, un procédé comme un autre, car on dénaturerait ainsi complètement la première démarche de la pensée cartésienne. Nous venons de dire que cette première démarche ne peut être que le doute. Puisque le doute est ici indispensable, il faut qu'il soit sincère, il faut qu'il soit le doute en vérité. En un mot il faut qu'il soit, tandis qu'il dure, le doute même des sceptiques, et qu'il en diffère seulement en ce qu'il ne dure pas toujours. C'est ce que beaucoup d'adversaires ou d'interprètes n'ont pas saisi. » (Hamelin, *op. c.*, 108.)

[1] Ad rem Card. Mercier : « Eh bien ! non, Descartes

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Confirmatur ex eius alicubi expresso testimonio. Habetur in responsione ad obi. Gassendi, qui contra II Med. sic inceperat : « Circa secundam, video te adhuc in ludificatione perstare, et nihilominus animadvertere... »[1]. Rescribit Cartesius : « Pergis hic Rethoricam simulationem loco rationis usurpare ; fingis enim me ludificari, ubi serio ago ; et serio accipis, tanquam vere dictum et affirmatum, quod tantum interrogando et ex vulgari aliorum sententia proposui, ut de eo ulterius inquirerem. Quod enim dixi, omnia sensuum testimonia pro incertis, imo etiam pro falsis, esse habenda, omnino serium est, et ad meas Meditationes intelligendas adeo necessarium, ut quisquis illud admittere non vult, aut non potest, nihil in ipsas responsione dignum obiiciendi sit capax. Sed advertenda est distinctio, variis in locis a me inculcata, inter actiones vitae et inquisitionem veritatis : cum enim de regenda vita quaestio est, ineptum esset sane sensibus non credere... ; atque idcirco alicubi admonui, neminem sanae mentis de talibus serio dubitare. Cum autem, quidnam certissime ab humano ingenio cognosci possit, inquiritur, plane a ratione alienum est, eadem nolle ut dubia, imo etiam ut falsa, serio reiicere, ad animadvertendum alia quaedam, quae sic reiici non possunt, hoc ipso esse certiora, nobisque revera notiora »[2].

In comprobationem etiam accedit ipsa Cartesii circa dubii positionem formido. Iam in Methodo ani-

ne feint pas de douter. En réalité, il veut douter et se donne à lui-même des motifs de douter de tout ce qu'il avait jusqu'à présent, à tort ou à raison, tenu pour certain : il se persuade qu'il doute parce qu'il ignore si les opinions qu'il a dans l'esprit sont vraies ou fausses. » (MERCIER, *Crit.*, 73.)

[1] V. *Obi.* (AT. VII, 258.)

[2] V. *Resp.* (AT. VII, 350-1.)

madverterat : « Vereor ne hoc ipsum quod suscepi tam arduum et difficile sit, ut valde paucis expediat imitari. Nam vel hoc unum, ut opiniones omnes quibus olim fuimus imbuti deponamus, non unicuique est tentandum. Et maxima pars hominum sub duobus generibus continetur, quorum neutri potest convenire... »[1]. Atque Arnauldo respondens : « Quod ea, inquit, quae in prima Meditatione atque etiam in reliquis continentur, ad omnium ingeniorum captum non sint accommodata, plane concedo ; idque, ubicunque sese obtulit occasio, testatus sum, atque in posterum testabor. Et haec unica fuit causa cur eadem in Dissertatione de Methodo, quae gallice scripta erat, non tractarim (ex. gr. hypothesim Dei fallacis), sed ad has Meditationes, quas a solis ingeniosis et doctis legendas esse praemonui, reservarim. Neque dici debet rectius me facturum fuisse, si abstinuissem ab iis scribendis a quibus legendis permulti debeant abstinere ; tam necessaria enim existimo, ut sine ipsis nihil unquam firmum et stabile in philosophia statui posse, mihi persuadeam. Et quamvis ignis et ferrum ab imprudentibus aut pueris sine periculo non tractentur, quia tamen utilia sunt ad vitam, nemo est qui putet idcirco ipsis esse carendum »[2]. Quam porro haberet Cartesius periculi formidinem, si dubium tantummodo ficticium consuleret ? Nonne quotidie atque apud omnes noverat in usu? S. Thomas ficticiam dubitationem in Summa Theologica, quam pro novitiis scripserat[3], adhibet : ad quid igitur propriam, quam statuit, Cartesius sapientibus reservat?

Ideo ad opus intentatum perducens, Ethicam

[1] *De Meth.* II. (AT. VI, 548.)
[2] IV. *Resp.* (AT. VII, 247.)
[3] Prol. in *Summ. Theol.*

quamdam temporariam sibi curavit adscribere, ne dubius et anxius haereret circa ea quae ipsi erant agenda : nolebat quippe irresolutus in actionibus quae vitam spectant remanere, dum tamen ratio certam et evidentem harum notitiam non nisi post longum tempus consequitur.

Ideo pariter fidem exclusit religiosam : nullum salutis discrimen in dubio ficticio aderat, at maxima in dubio reali periclitatio [1].

Dormientem Cartesium vidimus ad Ecclesiam pergere atque a maligno quodam Spiritu propulsum. Nonne Ecclesia fidem subaudit christianam, quam ultro quidem ipse servare et roborare cupiebat, quamque a maligno posito deceptore oppugnatam sensit, si figuram aperiamus, vacillare ? Quid etiam pium illud est votum nisi fervens periclitantis ad Deum pro fidei conservatione deprecatio ? « Religiosae peregrinationis promissio, cum Höffding iterabo, en ad modernam philosophiam miram introductionem ». Miram certe, Cartesio autem, subiungam, pernecessariam.

[1] « Descartes n'a-t-il pas lui-même reconnu implicitement le caractère réel qu'il attachait à son doute, lorsqu'il a pris la précaution de soustraire à l'action dissolvante de sa critique ses croyances morales et religieuses ? Quel mal pouvait-il voir à contrôler méthodiquement la validité de ses convictions morales et de sa foi religieuse ? N'avons-nous pas entendu saint Thomas d'Aquin mettre en question, par méthode, l'existence de Dieu et la survivance de l'âme dans une vie future ? Descartes en juge autrement. C'est donc que, dans sa pensée, le doute n'est pas une simple fiction sans conséquences, mais une menace pour la possession réelle de la certitude et de la paix de l'âme. » (Mercier, *l. c.*, 72.)

IV

Dubium Cartesianum est positivum.

Postquam in cartesianae dubitationis modo, longius, ob auctorum dissensionem, insistimus, ad ea quae motivum spectant deveniamus.

Ubi si ex initiali quo instituta fuit argumento superficie tenus iudicatur, non nisi negativa esset dicenda. Testatur enim Cartesius, prouti vidimus, se una ignorantia, quam tot laborum veluti fructum consecutus est, de dubio instituendo consilium nactum. « Simul, inquit, ac illud studiorum curriculum absolvi, quo decurso mos est in eruditorum numerum cooptari... tot me dubiis, totque erroribus implicatum esse animadverti, ut omnes discendi conatus nihil aliud mihi profuisse iudicarem, quam quod ignorantiam meam magis magisque detexissem »[1]. Innuunt quoque nonnullae quae ad mentem eius exprimendam veniunt similitudines : illa nempe qua se cum prudenti comparat qui corbem habens pomis plenam, quorum aliqua corrupta detegit, omnia primo e corbe reponit ut bona tantum resumat simul et vieta perlustrans ; illa etiam quam ad se refert aedificatoris, arenam, latera et lapides indifferenter removentis, ut firmum solum inveniat.

Sed harum similitudinum quis sit habendus valor supra ostendimus.

Ignorantia autem quae dubii motivum praestitit, validum re est atque positivum argumentum : constat enim dubiis, constat erroribus, et, quod pluris

[1] *De Meth.* I. (AT. VI, 542.)

est, constat diffidentia. « Attamen tunc degebam, loquitur, in una ex celeberrimis totius Europae scholis, in qua, sicubi in universo terrarum orbe, doctos viros esse debere cogitabam. Omnibus iis, quibus alii ibidem imbuebantur, utcunque tinctus eram. Nec contentus scientiis quas docebamur, libros de quibuslibet aliis magis curiosis atque a vulgo remotis tractantes, quotquot in manus meas inciderant, evolveram. Aliorum etiam de me iudicia audiebam, nec videbam me quoquam condiscipulorum inferiorem aestimari... Ac denique hoc saeculum non minus floridum et bonorum ingeniorum ferax quam ullum praecedentium esse arbitrabar. Quae omnia (arguit) mihi audaciam dabant de aliis ex me iudicandi, et credendi nullam in mundo scientiam dari, illi parem cuius spes mihi facta erat » [1].

At nulla de positivo dubii caractere iam manere potest difficultas postquam modum procedendi cognovimus : semper enim Cartesius, ut dubitet, dubitandi rationes nititur afferre. Ipsemet scribit : « Cum ad falsitatem vel incertitudinem propositionum quas examinabam detegendam, non vagis tantum et debilibus coniecturis, sed firmis et evidentibus argumentis uti conarer, nulla tam dubia occurrebat, quin ex ea semper aliquid certi colligerem : nempe vel hoc ipsum,

[1] *Ibidem* (*id*). — « Verum tamen isti novem anni effluxerunt (habet postea), antequam de ulla ex iis quaestionibus quae apud eruditos in controversiam adduci solent, determinate iudicare, atque aliqua in Philosophia principia vulgaribus certiora quaerere ausus fuissem. Tantam enim in hoc difficultatem esse docebant exempla permultorum summi ingenii virorum, qui sine successu hactenus idem suscepisse videbantur... » (*De Meth.* III. — AT. VI, 557.) Cf. *Reg. ad direct. ingenii*, II. (AT. X, 363.)

nihil in ea esse certi »[1]. Sensuum et instinctus, memoriae et intellectus, nisi ubi invenit saepius falli, nec veritatis cautionem prae se ferre, non reicit argumentum : ad haec somnum addit, ad haec maligni Genii atque omnipotentis hypothesim. « Quibus, habet, argumentis non habeo quod respondeam, sed tandem cogor fateri nihil esse ex iis quae olim vera putabam, de quo non liceat dubitare, idque non per inconsiderantiam vel levitatem, sed propter validas et meditatas rationes »[2]. « Cernis, scribit alibi, de omnibus rebus quarum cognitio non nisi ope sensuum ad te pervenit, cum ratione dubitare te posse »[3].

Super his igitur insistere omnino superfluum duco cum neminem eius veritas lateat, nec ab ullo, quantum scio, interprete sit res in causam adducta[4].

Ideo Cartesius criteriis, quae incerta suspicatur, nullam amplius decernit praebendam fidem, dummodo vel signum infallibile non offerant vel fictionum, quas adhibet, momentum evanescat. Sic in III Resp. : « Potest Atheus, inquit, colligere se vigilare ex memoria anteactae vitae ; sed non potest scire hoc signum sufficere ut certus sit se non errare, nisi sciat se a Deo non fallente esse creatum »[5].

[1] *De Meth.* III. (AT. VI, 556.)

[2] I *Med.* (AT. VII, 21.)

[3] *Rech. de la Verité.* (AT. X, 514.)

[4] « Descartes était loin de s'abstenir sur la valeur des sens et de la raison, il invoquait des arguments de fait et de principe, pour proclamer douteuse la validité de la raison humaine. Le doute de Descartes était donc *positif*. » (MERCIER, *op. c.*, 112.)

[5] AT. VII, 196.

V

Dubium Cartesianum an sit universale.

Post illa quae in dubii explicatione diximus, nulla exstare videretur necessitas eius nunc extensionem mensurandi. Nam Cartesium et testimonio sensuum et instinctus et criterio memoriae atque intellectus suspicionem vidimus causasse : nulla igitur manet ultra certa facultas, nulla veritas indubitata. Cartesianam propterea dubitationem universalem fuisse, nullo etiam addito, firmum videtur et constans.

Et bene quidem si Cartesii vestigia premere contenti simus, nulla iam exoriri posset quaestio : exsurgit tamen et maxima, dum ea quae in Operum exordiis cum iis quae procedens affirmat comparantur.

Hoc est igitur controversiae punctum : venitne dubium in dubitatione cartesiana omne cognoscendi principium, vel, e contra, restatne, quibuslibet adductis dubitandi rationibus, aliquod quod firmum sit et inconcussum ?

At manifestum est residuum hoc sive sensus sive instinctum non fuisse. Nam omnis horum, ut supra vidimus, aufertur auctoritas. Circa remota et longinqua quia saepissime sensus fallunt ; circa proxima quoque et particularia quia somno vacamus ; circa vicina vero et generalia, quae colorum in pictura locum obtinent, quia utrum talis noster sit auctor aut adversarius, qui assidue fallat, nescimus.

Certum pariter est attingere memoriam. Neque enim eodem gradu omnes illam nacti sumus, neque

semper in promptu habemus quod enixius ipsi commendavimus. Additur quoque talem forsan exsistere Deum, vel hostilem deceptorem atque omnipotentem Genium, qui quaecumque memoriae commisimus delere possit, aliave quae hactenus non percipimus, illorum loco immittere tamquam percepta : quas demum semel statuit veritates, liberrime atque incunctanter non amplius sustinere.

Tota igitur quaestio circa valorem postremae facultatis, intellectus scilicet, agitatur. Cartesius enim qui alibi hunc quoque infirmasse visus fuerat, ita in Reg. scribit : « In nobis quatuor sunt facultates tantum, quibus ad hoc (res nempe cognoscendas) uti possimus : nempe intellectus, imaginatio, sensus, et memoria. Solus intellectus equidem percipiendae veritatis est capax »[1].

§ 1. Duplex intellectus operatio describitur.

Ut firmiori gressu procedamus duplex intelligentiae distinguendus est actus : alius circa illas propositiones versatur quae propriam claritatem et evidentiam in suis ipsis terminis ferunt ; alius circa reliquas, quarum veritas et certitudo non nisi ex quibusdam iam certo cognitis concluditur.

« Hic recensentur, ait Cartesius, omnes intellectus nostri actiones, per quas ad rerum cognitionem absque ullo deceptionis metu possimus pervenire : admittuntur tantum duae, intuitus, scilicet, et inductio »[2].

[1] *Reg. ad direc. ing.* XII. (AT. X, 411.) Pariter : « Et quidem in nobis advertimus, solum intellectum esse scientiae capacem... » (*Id.* Reg. VIII. — AT. X, 398.)

[2] *Idem.* Reg. III. (AT. X, 368.) — « Atque hae duae viae

Harum ipse naturam sic describit : « *Per intuitum* intelligo, non fluctuantem sensuum fidem, vel male componentis imaginationis iudicium fallax ; sed mentis purae et attentae tam facilem, distinctumque conceptum, ut de eo, quod intelligimus, nulla prorsus dubitatio relinquatur ; seu, quod idem est, mentis purae et attentae non dubium conceptum, qui a sola rationis luce nascitur, et ipsamet deductione certior est, quia simplicior » [1].

Per inductionem autem : « intelligimus, illud omne quod ex quibusdam aliis certo cognitis necessario concluditur » [2]. Haec vero operatio ideo ponenda fuit « quia plurimae res certo sciuntur, quamvis non ipsae sint evidentes, modo tantum a veris cognitisque principiis deducantur per continuum et nullibi interruptum cogitationis motum singula perspicue intuentis : non aliter quam longae alicuius catenae extremum anulum cum primo connecti cognoscimus, etiamsi uno eodemque oculorum intuitu non omnes intermedios, a quibus dependet illa connexio, contemplemur, modo illos perlustraverimus successive, et singulos proximis a primo ad ultimum adhaerere recordemur » [3].

§ 2. Quisnam inductionis valor.

Ni Cartesius hunc utriusque operationis valorem in diversis locis distinxerit, nulla adesset ratio, ipsarum cum de examine agitur, hic utramque secernendi. Sed ab allatis verbis proxime sequentia legimus : « Hic

sunt (habet postea) ad scientiam certissimae, neque plures ex parte ingenii debent admitti, sed aliae omnes ut suspectae erroribusque obnoxiae reiiciendae sunt. » (*Ibid.* — AT. X, 370.)

[1] *l. c.* (AT. X, 368.)

[2] *Ibidem.* (AT. X, 369.)

[3] *Ibid.* (AT. X, 369-70.)

igitur mentis intuitum a deductione certa distinguimus ex eo, quod in hac motus sive successio quaedam concipiatur, in illo non item ; et propterea, quia ad hanc non necessaria est praesens evidentia, qualis ad intuitum, sed potius a memoria suam certitudinem quodammodo mutuatur » [1]. Et alibi : « Cui, habet, enumerationis, sive inductionis, nomen dedimus, quia tunc non tota simul ab intellectu potest comprehendi, sed eius certitudo quodammodo a memoria dependet, in qua iudicia de singulis partibus enumeratis retineri debent, ut ex illis omnibus unum quid colligatur » [2].

Ex quibus cartesianae inductionis vel deductionis momentum iam conicitur. Omnis enim discursus principiis et conclusionibus simul coalescit : posteriores a prioribus consequi necessum est, ac, praeter logicum nexum, veritatem horum patet menti debere esse manifestam. Porro si memoria nullo retinendi, ex antedictis, gaudet pondere, veritas prius percepta, quae principii suscepit locum, infirmatur et huius imperfectionem veritates ceteras perspicuum est participare. Vitiata memoriae basi, totam restat superpositam periclitari constructionem.

Sed principiorum infirmitati infirmitas accedit pro-

[1] *Idem.* (AT. X, 370.) — « En tant que distincte de l'intuition (scribit Hamelin), la déduction nous conduit d'un bout d'une chaîne à l'autre en passant par les anneaux intermédiaires, sans que nous voyions autre chose que le lien de chaque anneau avec le précédent, sans que nous rattachions le dernier anneau au premier autrement qu'en nous souvenant que le dernier tient à l'avant-dernier, celui-ci au précédent, et ainsi de suite. Le vrai nom de la déduction ainsi entendue, c'est *énumération*, parce que ce mot en marque bien le caractère discontinu et montre que l'intelligence qui déduit, à proprement parler, est obligée de s'appuyer sur la mémoire. » (Hamelin, *op. l.*, 80.)

[2] *Reg.* XI. (AT. X, 408.)

cessûs in concludendo. Cum enim operatio haec a veris cognitisque principiis gradatim et pedetentim, per continuum motum atque ininterruptum, ad remotas veritates quasque devenire debeat, nullibi est longioris catenae anulum intermittendum ni velimus totam conclusionum labari certitudinem [1]. Sed si memoria fallax est, incerta et dubia in inveniendo vero, pluries intermedias cognitiones omittentes, ab una in aliam quasi per saltum transcedemus : quo quidem eventu ruinam scientiae minatur omnis cognitio certa.

Inde Cartesius semel atque iterum quamlibet conclusionum notitiam suspectam atque vitiatam, dum veracem Deum nondum cognoscamus, denuntiat [2].

[1] Cf. *Reg.* VII. (AT. X, 388.)

[2] « Etsi eius sim naturae, inquit, ut, quamdiu aliquid valde clare et distincte percipio, non possim non credere verum esse, quia tamen eius sum etiam naturae ut non possim obtutum mentis in eandem rem semper defigere ad illam clare percipiendam, recurratque saepe memoria iudicii anteacti, cum non amplius attendo ad rationes propter quas tale quid iudicavi, rationes aliae afferri possunt quae me, si Deum ignorarem, facile ab opinione deiicerent, atque ita de nulla unquam re veram et certam scientiam, sed vagas tantum et mutabiles opiniones haberem... Postquam vero percepi Deum esse, quia simul etiam intellexi caetera omnia ab eo pendere, illumque non esse fallacem ; atque inde collegi illa omnia, quae clare et distincte percipio, necessario esse vera ; etiamsi non attendam amplius ad rationes propter quas istud verum esse iudicavi, modo tantum recorder me clare et distincte perspexisse, nulla ratio contraria afferri potest, quae me ad dubitandum impellat, sed veram et certam de hoc habeo scientiam. ... Atque ita plane video omnis scientiae certitudinem et veritatem ab una veri Dei cognitione pendere, adeo ut, priusquam illum nossem, nihil de ulla alia re perfecte scire potuerim. » (V. *Med.*—AT.VII, pp. 69-71.) Cf. II. *Resp.* (AT. VII, 140-6.) — « Lorsque l'on raisonne, la mémoire agit ; et où il y a mémoire il peut y avoir

Haec autem scientiae suspicio vel infirmitas non modo iudicia quae realitatis sunt, de quibus supra, sed et iudicia ordinis logici complectitur.

Licet enim alicubi Cartesius scribat : « Ubi dixi hanc propositionem : *ego cogito, ergo sum*, esse omnium primam et certissimam, quae cuilibet ordine philosophanti occurrat, non ideo negavi quin ante ipsam scire oporteat quid sit cogitatio, quid existentia, quid certitudo ; item quod fieri non possit, ut id quod cogitet non existat, et talia ; sed quia haec sunt simplicissimae notiones, et quae solae *nullius rei existentis notitiam praebent, idcirco non censui esse numerandas* »[1], attamen contra illas, quasi directe et exclusive, Dei vel Genii fallacis hypothesim instituerat, Quis, inquit, mihi in posterum reddat certum, quem ad modum iudico alios errare circa ea quae se perfectissime scire arbitrantur, me pariter non falli quoties duo et tria simul addo, vel numero quadrati latera, vel si quid aliud facilius excogitari potest ? Ac antea iam nonnullos in mathematicis saepius errare ac paralogismos committere observarat.

Quae quidem dicta sint de deductione vel enumeratione longiore quam innuimus. Adest autem enumeratio sive inductio alia facilior atque simplex magis. « Eorum, quae hic proponuntur, scribit Cartesius, observatio necessaria est ad illas veritates inter certas

erreur, supposé qu'il y ait quelque mauvais génie de qui nous dépendions dans nos connaissances et qui se divertisse à nous tromper. » (MALEBRANCHE, *Recherche*, liv. VI, partie II, ch. VI.)

[1] I. *Princ.* 10. (AT. VIII, 8.) Forsan inde ansam sumpsit FOUILLÉE ut scriberet : « Au fond — et on ne le remarque pas assez, — ce sont seulement les réalités, les *existences*, qui sont mises en doute. Mais Descartes ne rejette pas ce qu'il appelle les *notions communes...* » (89.)

admittendas, quas supra diximus a primis et per se notis principiis non immediate deduci. Hoc enim fit interdum per tam longum consequentiarum contextum, ut, cum ad illas devenimus, non facile recordemur totius itineris, quod nos eo usque perduxit »[1].

Posito autem de propositionibus agi quae ad principia propius aut immediate vinculantur, timor ille atque infirmitas non amplius perstat. Sed inductio haec ad ipsum iam intuitum revocatur.

§ 3. Valor intuitus.

Alterius operationis intellectus descriptionem adduximus supra : proprietates autem sic breviter Cartesius : « Ad mentis intuitum duo requirimus : nempe, ut propositio clare et distincte, deinde etiam ut tota simul et non successive intelligatur »[2].

Petitur ergo utrum hunc postremum cognitionis fontem in dubium Cartesius relegaverit. Super quod non una est auctorum et interpretum sententia.

De hac ipsa dubitasse postremae, quam diximus, positionis convinceret occasio. « Sive vigilem, sive dormiam, dixerat, duo et tria simul iuncta sunt quinque, quadratumque non plura habet latera quam quatuor ; nec fieri posse videtur ut tam perspicuae veritates in suspicionem falsitatis incurrant. Verumtamen (subiungit) infixa quaedam est meae menti vetus opinio, Deum esse qui omnia potest, et a quo talis, qualis existo sum creatus »[3] : unde igitur scio illum non fecisse ut in

[1] *Reg.* VII. (AT. X, 387.)
[2] *Reg.* XI. (AT. X, 407.)
[3] I. *Med.* (AT. VII, 20-21.)

iis quoque atque etiam facilioribus, si quae sint, decipiar? Et in Princ. dubitandum decernit non modo de mathematicis demonstrationibus, verum etiam « de iis, habet, principiis, quae hactenus putavimus esse per se nota : tum quia vidimus aliquando nonnullos errasse in talibus, et quaedam pro certissimis ac per se notis admisisse, quae nobis falsa videbantur ; tum maxime, quia audivimus esse Deum, qui potest omnia, et a quo sumus creati. Ignoramus enim, an forte nos tales creare voluerit, ut semper fallamur, etiam in iis quae nobis quam notissima apparent »[1].

Exigit pariter argumentorum virtus. Semel quippe pro valido incertitudinis motivo Dei vel omnipotentis delusoris assumpta fictione, sicut nullus pro ceteris facultatibus locus remansit, pariter nec pro intuitione ullus valor restat. Quia etenim omnipotens est ac creator inimicus ille, indifferens prorsus ac liberrimus in qualibet veritate stabilienda ponitur : non quia vera vidit, vera decernit ; sed quia vera decernit, vera exstant quaecumque sunt vera. Quisnam igitur affirmabit Deum facere non potuisse ut duo et tria non faciant quinque, vel ut sit mons sine valle, vel non repugnantia sint quae contradictionem involvunt in nostro conceptu ?[2] Praecipue cum totam suam ponere

[1] I. *Princ.* 5. (AT. VIII, 6.)

[2] « Mihi autem non videtur de ulla unquam re, habet in epistolis, esse dicendum ipsam a Deo fieri non posse ; cum enim omnis ratio veri et boni ab eius omnipotentia dependeat, nequidem dicere ausim, Deum facere non posse ut mons sit sine valle, vel ut unum et duo non sint tria... » (*Lettres*, 29 juillet 1648. AT. V, 223-4.) « Pour la difficulté de concevoir, comment il a esté libre & indifferent à Dieu de faire qu'il ne fust pas vray, que les trois angles d'un triangle fussent égaux à deux droits, ou generalement que les contradictoires ne peuvent estre ensemble, on la peut aisement oster, en considerant que la puissance de Dieu ne peut avoir aucunes bornes ;

dixerimus industriam in nos fallendos : quare non potuerit contraria stabilire eorum quae nobis vera et indubitata convincimus? Uno verbo, si omnipotens est delusor ille, quisnam ab eius malitia tutos reddet? Quod si non a perfecto creatore, sed a causa qualibet imperfectissima, quicquid habemus nacti sumus, unde habebimus in verum infallibilem dispositionem aut quo intuitionis facultas fulcietur? Vel ab omnipotenti sumus factore, et tunc eius astutias, finiti cum simus, evadere non possumus : vel a creatore imperfectissimo, et tunc omni nostrae perfectioni, quaecumquae videatur, diffidere ipsa ratio convincit.

Obiectarant VI Obi. auctores : « Quartus scrupulus est de scientia Athei, quam contendit esse certissimam, et etiam, iuxta tuam regulam, evidentissimam, dum asserit : si ab aequalibus aequalia demantur, quae supersunt aequalia fore ; tres angulos trianguli rectilinei aequales sunt duobus rectis, et mille similia ; quandoquidem de iis cogitare nequit, quin ea certissima credat. Quod contendit ita verum esse, ut, etiamsi neque Deus existat, neque sit possibilis, ut ille putat, non minus sit certus de illis veritatibus, quam si revera existeret. Negatque ullam dubitandi rationem ei posse afferri, quae tantisper eum deturbet, aut dubium efficiat. Quam enim afferes ? An Deum, si sit, illum posse decipere ? Sed negavit se in his etiam a Deo suam omnipotentiam exercente posse decipi »[1]. Cartesius respondet : « Quantum ad scientiam Athei,

puis aussi, en considerant que nostre esprit est finy... Car la premiere consideration nous fait connoistre que Dieu ne peut avoir esté determiné à faire qu'il fust vray, que les contradictoires ne peuvent estre ensemble, & que, par consequent, il a pû faire le contraire... » (*Lettres*, 2 mai 1644. — AT. IV, 118.)

[1] AT. VII, 414-5.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

facile est demonstrare illam non esse immutabilem et certam. Ut enim iam ante dixi, quo minus potentem originis sui authorem assignabit, tanto maiorem habebit occasionem dubitandi, an forte tam imperfectae sit naturae, ut fallatur etiam in iis quae sibi quam evidentissima apparebunt ; illoque dubio liberari nunquam poterit, nisi a vero et fallere nescio Deo se creatum esse prius agnoscat »[1].

Venit praeterea quod ipsa clara et distincta maxime idea, quam omnis veritatis et certitudinis criterium postea affert, quaeque operationis intuitivae unus est effectus, non nisi ab ipso Deo vero et fallere nescio veritatem, prout passim innuit, adipiscitur. « Hoc ipsum, expresse in Methodo, quod paulo ante pro regula assumpsi, nempe illa omnia quae clare et distincte concipimus vera esse, non aliam ob causam sunt certa, quam quia Deus exsistit, estque Deus ens summum et perfectum, adeo ut quidquid entis in nobis est, ab eo necessario procedat »[2]. Et in V Med. : « Ita plane video, inquit, omnis scientiae certitudinem et veritatem ab una Dei cognitione pendere, adeo ut, priusquam illum nossem, nihil de ulla alia re perfecte scire potuerim »[3]. Unde « si nesciremus quicquid entis et veri in nobis est, totum illud ab ente summo et infinito procedere, quantumvis clarae et distinctae essent Ideae nostrae, nulla nos ratio certos redderet illas idcirco esse veras »[4].

Atque hoc praecise sensu litteram Cartesii accepere qui pervulgatum vitiosum circulum exprobrarunt.

[1] VI. *Resp.* (AT. VII, 428.)
[2] *De Meth.* IV. (AT. VI, 562.)
[3] AT. VII, 71.
[4] *De Meth.* IV. (AT. VI, 562.)

« Cum nondum certus sis (loquebatur unus obiciens) de illa Dei existentia, neque tamen te de ulla re certum esse, vel clare et distincte aliquid te cognoscere, posse dicas, nisi prius certo et clare Deum noveris existere, sequitur te nondum clare et distincte scire quod sis res cogitans, cum ex te illa cognitio pendeat a clara Dei existentis cognitione, quam nondum probasti locis illis, ubi concludis te clare nosse quod sis »[1]. Similiter Arnauld : « Unicus, aiebat, mihi restat scrupulus, quomodo circulus ab eo non committatur, dum ait, non aliter nobis constare, quae a nobis clare et distincte percipiuntur, vera esse, quam quia Deus est. At nobis constare non potest Deum esse, nisi quia id a nobis clare et evidenter percipitur »[2].

* * *

Atque infitiandum certe non est hos esse proiecti seminis fructus, hos principiorum exitus : dubium cartesianum, quod positis moderatur argumentis, universale proculdubio est.

Extensio autem haec tanta Cartesii vincit (meo iudicio) et exspectationem et intentum : immo praeter et contra eius exsistit mentem.

Primo quidem propterea quod intuitu sive τοῦ *ego* exsistentiam, sive exsistentiam Dei et perfectiones in ipso dubio constitutus attingit. « Cum advertimus, refert, nos esse res cogitantes, prima quaedam notio est, quae ex nullo syllogismo concluditur ; neque etiam cum quis dicit, *ego cogito, ergo sum, sive existo*, existentiam ex cogitatione per syllogismum deducit, sed

[1] II. *Obi.* (AT. VII, 124-5.)
[2] IV. *Obi.* (AT. VII, 214.)

tanquam rem per se notam simplici mentis intuitu agnoscit... »[1]. Et pariter : « Peto ut (lectores) diu multumque in natura entis summe perfecti contemplanda immorentur ; et inter caetera considerent, in aliarum quidem naturarum ideis existentiam possibilem, in Dei autem idea non possibilem tantum, sed omnino necessariam contineri. Ex hoc enim solo, et absque ullo discursu, cognoscent Deum existere ; eritque ipsis non minus per se notum, quam numerum binarium esse parem, vel ternarium imparem, et similia »[2].

Porro circulum vitiosum, dum haec ipsa facit, Cartesius se committere perpetuo reicit. « Ubi dixi, explicat, nihil nos certo posse scire, nisi prius Deum existere cognoscamus, expressis verbis testatus sum me non loqui nisi de scientia earum conclusionum, quarum memoria potest recurrere, cum non amplius attendimus ad rationes ex quibus illas deduximus »[3]. Et in IV Resp. : « Quod circulum, scribit, non commiserim, cum dixi non aliter nobis constare, quae clare et distincte percipiuntur vera esse, quam quia Deus est ; et nobis non constare Deum esse, nisi quia id clare percipitur, iam satis in responsione ad II obi., num. 3 et 4 explicui, distinguendo scilicet id quod reipsa clare percipimus, ab eo quod recordamur nos antea clare percepisse. Primum enim, nobis constat Deum existere, quoniam ad rationes quae id probant attendimus ; postea vero, sufficit ut recordemur nos aliquam rem clare percepisse, ut ipsam veram esse simus certi ; quod non sufficeret,

[1] II. *Resp.* (AT. VII, 140.)

[2] *Ibidem.* (AT. VII, 163-4.) — « Les preuves de l'existence et des perfections de Dieu, tirées de l'idée que nous avons de l'infini, sont preuves de simple vue. » (MALEBRANCHE, *Rech.*, liv. VI, part. II, ch. VI.)

[3] II. *Resp.* (AT. VII, 140.)

nisi Deum esse et non fallere sciremus »[1]. Iuxta haec igitur de valore intuitus nullatenus dubitavit, sed memoriam tantum et deductionem suprema hypothesis attingit.

Confirmatur ex ipsa quam praebuit intuitus tradita definitione : « Per intuitum intelligo, non fluctuantem sensuum fidem, vel male componentis imaginationis iudicium fallax ; sed mentis purae et attentae tam facilem distinctumque conceptum, ut de eo, quod intelligimus, *nulla prorsus dubitatio relinquatur ;* seu, quod idem est, mentis purae et attentae *non dubium conceptum,* qui a sola rationis luce nascitur... »[2].

Et comprobatur ex Cartesii passim prolato testimonio. « Cum mens, quae se ipsam novit, habet in Princ., et de aliis omnibus rebus adhuc dubitat, undique circumspicit, ut cognitionem suam ulterius extendat : primo quidem invenit apud se multarum rerum ideas, quas quamdiu tantum contemplatur, nihilque ipsis simile extra se affirmat vel negat, falli non potest. Invenit etiam communes quasdam notiones, et ex his varias demonstrationes componit, ad quas quamdiu attendit, omnino sibi persuadet esse veras. Sic, exempli causa, numerorum et figurarum ideas in se habet, habetque etiam inter communes notiones, quod si aequalibus aequalia addas, quae inde exsurgent erunt aequalia, et similia ; ex quibus facile demonstratur, tres angulos trianguli aequales esse duobus rectis, etc. ; ac proinde haec et talia sibi persuadet vera esse, quamdiu

[1] AT. VII, 245-46.

[2] *Reg.* III. (AT. X, 368.) « On voit, ad rem Hamelin, que Descartes se borne à insister sur deux points : le caractère purement intellectuel de cet acte, à l'exclusion de toute intervention de ce qui est mémoire ou imagination, et la certitude absolue que l'intuition nous procure. » (*l. c.*, 84-5.)

ad praemissas, ex quibus ea deduxit, attendit. Sed quia non potest semper ad illas attendere, cum postea recordatur se nondum scire, an forte talis naturae creata sit, ut fallatur etiam in iis quae ipsi evidentissima apparent, videt se merito de iis dubitare, nec ullam habere posse certam scientiam, priusquam suae authorem originis agnoverit » [1]. Et ad Regium : « In secunda (obiectione) dicitis : axiomatum clare et distincte intellectorum veritatem per se esse manifestam ; quod etiam concedo, quandiu clare et distincte intelliguntur, quia mens nostra talis est naturae, ut non possit clare intellectis non assentiri ; sed quia saepe recordamur... » [2].

[1] I. *Princ.* 13. (AT. VIII, 9-10.) — « Quaecumque lumine naturali mihi ostenduntur; alibi scribit, ut quod ex eo quod dubitem, sequatur me esse, et similia, nullo modo dubia esse possunt, quia nulla alia facultas esse potest, cui aeque fidam ac lumini isti, quaeque illa non vera esse possit docere. » (III. *Med.* — AT. VII, 38-9.) Et in II. *Resp.* : « Ubi dixi *nihil nos certo posse scire, nisi prius Deum existere cognoscamus*, expressis verbis testatus sum me non loqui nisi de scientia earum conclusionum, *quarum memoria potest recurrere, cum non amplius attendimus ad rationes ex quibus ipsas deduximus.* Principiorum enim notitia non solet a dialecticis scientia appellari. » (AT. VII, p. 140.) « Si enim ignoraremus veritatem omnem oriri a Deo, quamvis tam clare essent ideae nostrae, non sciremus eas esse veras, nec nos non falli, scilicet cum ad eas non adverteremus, et quando solum recordamur nos illas clare et distincte percepisse. Alias enim, etiamsi nesciamus esse Deum, quando ad ipsas veritates advertimus, non possumus de iis dubitare ; nam alias non possemus demonstrare Deum esse. » (*Resp.* Ren. Descartes *ad quasdam difficultates, ex Meditationibus eius*, etc., *ab ipso haustae.* — AT. V, 178.)

[2] *Lettres*, 24 mai 1640 (AT. III, 64.) — « Quantum ad principia communia et axiomata, exempli gratia, *impossibile est idem esse et non esse*, attinet, ea homines sensuales, ut omnes ante philosophiam sumus, non considerant, nec ad ea attendunt ; sed quia tam clare sibi innata sunt, et quia ea in semetipsis experiuntur, omittunt, et non nisi confuse considerant,

Demum : « Ex iis (quae ab intellectu clare percipiuntur) quaedam sunt tam perspicua, simulque tam simplicia, ut nunquam possimus de iis cogitare, quin vera esse credamus : ut quod ego, dum cogito, existam ; quod ea, quae semel facta sunt, infecta esse non possint, et talia, de quibus manifestum est hanc certitudinem haberi. Non possumus enim de iis dubitare, quin de ipsis cogitemus ; sed non possumus de iis cogitare, quin simul credamus vera esse, ut assumptum est : ergo non possumus de iis dubitare, quin simul credamus vera esse, hoc est, non possumus unquam dubitare » [1].

Testatur insuper ipsamet Cartesii prima intentio. Videns etenim nihil adhuc in philosophia reperiri certum, ac Mathematicam unam possidere certas et evidentes demonstrationes, in philosophicis per dubitationem ingrediens certitudinem et evidentiam mathe-

nunquam vero in abstracto et separata a materia et singularibus. Si enim ita considerarent, nemo de iis dubitaret ; et si id fecissent Sceptici, nemo unquam Scepticus fuisset, quoniam ea ab eo, qui attente ad illa animadvertit, negari non possunt. »(*Resp.* de quibus in nota praeced.— AT.V, 146.) — « Le doute hyperbolique ne porte, en effet, que sur les choses qui sont connues par déduction : il n'atteint pas l'intuition. » (Brochard-*Desc.* 95.) « L'intuition, c'est-à-dire la connaissance claire et distincte de la vérité présente, se suffit toujours à elle-même. Elle n'a besoin d'aucune garantie extérieure, pas même de celle de Dieu. ... Ainsi, ce n'est pas la véracité divine qui nous garantit la certitude immédiate et intuitive. Elle se garantit elle-même. Descartes souscrirait au mot de Spinoza : Verum vindex sui. » (*Id.*, 108-109.) « Si je supposais, par exemple, un Dieu qui se plût à me séduire, je suis très persuadé qu'il ne pourrait me tromper dans mes connaissances de simple vue... » (Malebranche, *Rech.*, liv. VI, partie II, ch. VI). Cf. etiam, Hamelin, 144 ; Le Grand, *Institutio Philosophica sec. principia R. Descartes*, Norimbergae, 1679, p. 17.

[1] II. *Resp.* (AT. VII, 145-6.)

maticorum persequebatur. Ideo cum de Dei agitur exsistentia, sicut ex eo, ait, quod in conceptu trianguli video tres eius angulos aequales duobus rectis, *pariter* in idea entis summe perfecti exsistentiam video contineri [1]. Ac ex mathematicis non tantum normam sumpsit certitudinis, sed etiam methodi : sicut una est humana sapientia diversis scientiis licet applicata, una est scientiarum methodus quae circa diversa obiecta versatur [2]. Ideo ab exordiis, dum Methodum novam parat, mathematicis se exercet ut paulatim ingenium assuefaciat veritati detegendae [3] : ipsamque ex prin-

[1] « Atque ut ex eo quod, exempli causa, scribit in Princ., percipiat in idea trianguli necessario contineri, tres angulos aequales esse duobus rectis, plane sibi persuadet triangulum tres angulos habere aequales duobus rectis : ita ex eo solo quod percipiat existentiam necessariam et aeternam in entis summe perfecti idea contineri, plane concludere debet ens summe perfectum existere. » (I. *Princ.*, 14. — AT. VIII, 10.) Et in V. *Med.* : « Certe, habet, eius ideam, nempe entis summe perfecti, non minus apud me invenio, quam ideam cuiusvis figurae aut numeri ; nec minus clare et distincte intelligo ad eius naturam pertinere ut semper existat, quam id quod de aliqua figura aut numero demonstro ad eius figurae aut numeri naturam pertinere ; ac proinde, quamvis non omnia, quae superioribus hisce diebus meditatus sum, vera essent, in eodem ad minimum certitudinis gradu esse deberet apud me Dei existentia, in quo fuerunt hactenus Mathematicae veritates. » (AT. VII, 65-6.) Cf. etiam *Reg.* XII. (AT. X, 421.)

[2] *Reg. I.* (AT. X, 360.)

[3] *De Meth. II.* (AT. VI, 550.) — « Ie voudrois icy expliquer, habet in Princ., l'ordre qu'il me semble qu'on doit tenir pour s'instruire. Premierement, un homme qui n'a encore que la connoissance vulgaire & imparfaite qu'on peut acquerir par les quatre moyens cy-dessus expliquez, doit avant tout tascher de se former une Morale... Apres cela, il doit aussi estudier la Logique : non pas celle de l'eschole, car elle n'est, à proprement parler, qu'une Dialectique qui enseigne les moyens de faire entendre à autruy les choses qu'on sçait, ou mesme aussi

cipiis Analysis Geometricae et Algebrae conficit [1], catenamque propositionum quasi numerorum seriem disponere conatur [2].

Quia igitur hoc viderat, quia alia ex parte mathematicas scientias praeiudiciis et passionibus et sensuum fallaciis minus invenit suspectas, ut parem in philosophicis nasceretur firmitatem totus in praehabitis opinionibus insistit deponendis. Mathematica intellectu solo percipitur, intellectu solo quaeramus philosophicam cognitionem : removeantur opiniones veteres, abiciatur sensuum, instinctus et quilibet intellectui extranei influxus. « Liberet se (lector) praeiudiciis, quibus forte lumen eius naturale obruitur » [3] ; ad tabulam primaevam et virginem redeamus, ubi nullam imper-

de dire sans jugement plusieurs paroles touchant celles qu'on ne sçait pas, & ainsi elle corrompt le bon sens plustost qu'elle ne l'augmente ; mais celle qu'apprend à bien conduire sa raison pour découvrir les veritez qu'on ignore ; & pource qu'elle depend beaucoup de l'usage, il est bon qu'il s'exerce long temps à en practiquer les regles touchant des questions faciles & simples, comme sont celles des Mathematiques... » (*Preface*. AT. IX, B, 13-14.)

[1] Cf. *De Meth. II*. (AT. VI, 551.)

[2] Cf. II. *Resp*. (AT. VII, 155 sqq.) et *Cogitationes Priv*. (AT. X, 215.)

[3] II. *Resp*. (AT. VII, 135.) — « Quantum ad ea quae... attulistis, non possunt venire in mentem iis, qui, viam a me monstratam sequuti, omnia quae a sensibus accepere aliquandiu seponent, ut quid pura et incorrupta ratio dictet advertant... » « Tertio (peto), ut propositiones per se notas, quas apud se invenient, quales sunt : *Quod idem non possit esse simul et non esse ; quod nihil nequeat esse causa efficiens ullius rei*, et similes, diligenter expendant, atque ita perspicuitatem intellectus sibi a natura inditam, sed quam sensuum visa quam maxime turbare solent et obscurare, puram atque ab ipsis liberatam exerceant. Hac enim ratione sequentium Axiomatum veritas ipsis facile innotescet. » (*Ibidem*, pp. 154, 162-3.)

fectam lineam ignari pictores depinxerunt. Quo quidem modo purificatus intellectus veritatem vi sua atque natura indubitatu gressu consequetur. Vidimus forsan nonnullos in iis falli quae sole clarius videre crediderunt ? At numquam advertimus, nec ab ullo potuit adverti, simile quid contigisse iis qui claritatem suae perceptionis ab uno intellectu postularunt, sed iis tantummodo qui vel a sensibus, vel a falso aliquo praeiudicio illam cognitionem desumpserunt [1]. Ideo super sensuum et instinctus convincendos errores tam incubuit, tamque parum super infirmitatem intellectus, ita ut ipsa quam vidimus Dei vel Genii omnipotentis fictio quasi primo et per se contra naturam in genere corpoream, quam oculis et sensibus percipimus, dirigatur.

Et roborat demum ipsa prioris operis confectio. « Si gallice, habet in fine Methodi, iuxta patriae morem, potius quam latine, qui mos erat praeceptorum, loquor, hoc propterea facio quia illos, qui sola et incorrupta ratione utuntur, prae iis, qui veterum scriptis insistunt, de meis sententiis confidam iudicaturos » [2].

[1] *Ibid.* (p. 146.)

[2] « Et si i'éscris en François, qui est la langue de mon païs, plutost qu'en Latin, qui est celle de mes Precepteurs, c'est à cause que i'espere que ceux qui ne se servent que de leur raison naturelle toute pure, iugeront mieux de mes opinions, que ceux qui ne croyent qu'aux livres anciens. » (AT. VI, 77.) Cf. pariter. *Praefationem ad Principia*. (AT. IX, 12.) Similia habet in *Reg.* : « ... Quod etiam experientia comprobatur, cum saepissime videamus illos, qui litteris operam nunquam navarunt, longe solidius et clarius de obviis rebus iudicare, quam qui perpetuo in scholis sunt versati. » (*Reg.* IV, — AT. X, 371.) — « Il ne s'adresse donc plus seulement aux Universités et aux Ecoles, mais aussi aux gens du monde et à ceux qui, comme il le dit, se servent de leur raison naturelle toute pure. C'est un livre, dit-il, dans une de ses lettres, où il a voulu que les femmes mêmes pussent entendre quelque chose. » (Bouillier, I, 53.)

ST. ALBERTUS COLLEGE LIBRARY

At quid, hoc in casu, particularis nempe dubitationis, ad loca e Cartesio superius adducta esset dicendum ? Asseruit enim neque de facilioribus et simplicioribus ullam scientiam atheum nancisci posse : et de quibuslibet, etiam principiis, dubitandum quae clare et evidenter apprehenduntur.

Responderem quod verba illa, aliaque paria, si quae exstant, ad has cognitiones prout habitu, in memoria, possidentur, esse reducenda ; nullatenus vero ad ipsa, quatenus actualis et intellectualis inspectionis obiecta sunt, extendi.

* * *

Argumentum modo colligens, dubium cartesianum sive pro universali, dicam, sive pro particulari accipi posse : universale rationes, quibus intrinsece moderatur, postulant, particulare exigunt eius testimonium et intentio.

Sed quaelibet opinio teneatur, hoc unum certum est, iudiciis omnibus prius habitis Cartesium valedixisse, atque ab animo longe amovisse cognitione quascumque ex libris perceptas : sive ipsa in particulari et actuali consideratione tentaret, ut prior vult positio ; sive in communi et in globo prout memoria tenebantur, ut altera ducit, segregaret. Abiecit omnes usque in diem habitas sententias, et deposuit hucusque pronuntiata quaelibet iudicia : in his etenim forsan inveniebatur error, quem cavere prosequebatur.

At exstat provincia tanto discrimine immunis, quam propterea dubium cartesianum nullo modo attingit, idearum videlicet. Ibi, sicuti nulla veritas, pariter nulla potest falsitas deprehendi : erroris igitur absit quicumque timor. « Nunc ordo videtur exigere,

narrat Cartesius, ut prius omnes meas cogitationes in certa genera distribuam, et in quibusnam ex illis veritas aut falsitas proprie consistat, inquiram. Quaedam ex his tanquam rerum imagines sunt, quibus solis proprie convenit ideae nomen : ut cum hominem, vel Chimaeram, vel Coelum, vel Angelum, vel Deum cogito..... Iam, quod ad ideas attinet, si solae in se spectentur, nec ad aliud quid illas referam, falsae proprie esse non possunt... Ac proinde sola supersunt iudicia, in quibus mihi cavendum est ne fallar » [1].

Cum Gassendus, igitur, postea obiectabat : Ut te cogitare scias, necesse est antea ut quid cogitatio ipsa sit agnoscas, Cartesius respondet : Praeiudicia negavi, notiones vero nullibi [2].

[1] *III. Med.* ((AT. VII, 36-7) « Cum autem mens, habet in Princ., quae se ipsam novit, et de aliis omnibus rebus adhuc dubitat, undique circumspicit, ut cognitionem suam ulterius extendat : primo quidem invenit apud se multarum rerum ideas, quas quamdiu tantum contemplatur, nihilque ipsis simile extra se esse affirmat vel negat, falli non potest ». (I *Princ.*, 13 — AT. VIII, 9.)

[2] « La seconde Objection que remarquent icy vos amis est : *Que, pour sçavoir qu'on pense, il faut sçavoir ce que c'est que pensée ; ce que ie ne sçay point*, disent-ils, *à cause que i'ay tout nié*. Mais ie n'ay nié que les prejugez, & non point les notions, comme celle-cy, qui se connoissent sans aucune affirmation ny negation » (*Lettre à Clerselier*. AT. IX, 206). — In III *Med.*, pariter : « Verumtamen multa prius ut omnino certa et manifesta admisi, quae tamen postea dubia esse deprehendi. Qualia ergo ista fuere ? Nempe terra, coelum, sydera et caetera omnia quae sensibus usurpabam. Quid autem de illis clare percipiebam ? Nempe ipsas talium rerum ideas, sive cogitationes, menti meae obversari. *Sed ne nunc quidem illas ideas in me esse inficior*. Aliud autem quiddam erat quod affirmabam, quodque etiam ob consuetudinem credendi clare me percipere arbitrabar, quod tamen revera non percipiebam : nempe res quasdam extra me esse, a quibus ideae istae procedebant, et

Quo factum est ut omnibus eius mens spoliata iudiciis, pro bonis solos conceptus retineret, qui inter dormiendum Dictionarii sub forma coram oculis postea recurrerent.

quibus omnino similes erant. Atque in hoc erat, in quo fallebar, vel certe, si verum iudicabam, id non ex vi perceptionis contingebat » (AT. VII, 35).

Zwei Sonnen-Uhren

connivet, sic sponte relabor in veteres opiniones, vereorque expergisci, ne placidae quieti laboriosa vigilia succedens, non in aliqua luce, sed inter inextricabiles iam motarum difficultatum tenebras, in posterum sit degenda »[1].

Alteram quoque incipiens Meditationem : « In tantas, inquit, dubitationes hesterna meditatione coniectus sum, ut nequeam amplius earum oblivisci, nec videam tamen qua ratione solvendae sint ; sed, tanquam in profundum gurgitem ex improviso delapsus, ita turbatus sum, ut nec possim in imo pedem figere, nec enatare ad summum.

« Enitar tamen et tentabo rursus eandem viam quam heri fueram ingressus, removendo scilicet illud omne quod vel minimum dubitationis admittit, nihilo secius quam si omnino falsum esse comperissem ; pergamque porro donec aliquid certi, vel, si nihil aliud, saltem hoc ipsum pro certo, nihil esse certi, cognoscam. Nihil nisi punctum petebat Archimedes, quod esset firmum et immobile, ut integram terram loco dimoveret ; magna quoque speranda sunt, si vel minimum quid invenero, quod certum sit et inconcussum.

« Suppono, igitur, omnia, quae video, falsa esse ; credo nihil unquam extitisse eorum quae mendax memoria repraesentat »[2].

Sed numquid ego qui talia suppono, qui talia fingo, qui talia credo, qui talia cogito, aliquid sum ? Proculdubio aliquid sum qui haec mihi persuasi.

An forsan non pariter in somno similia mihi persuadeo ? Incunctanter quoque sum, modo si dormio.

Est forsitan aliquis Deus vel Genius summe potens,

[1] I. *Med.* (AT. VII, 22-23.)
[2] AT. VII, 23-4.

qui me in errorem perducere conatur, totamque suam omnipotentem industriam in me fallendo ponit ? Haud dubie tunc pariter sum, si me fallit.

Et quia possum effingere nullum esse corpus, nullam terram, nullum caelum, extensionem pariter et figuram nullam, nullum Deum, nullos angelos, non tamen possum dubitare me, talia dum cogito, non esse, propositio haec : *cogito, ergo sum*, omnium est prima, eaque certissima, quae ordinate philosophanti occurrat [1].

Hic ipsemet propositionis principatus, quaenam sit eius natura demonstrat.

Eadem certe forma ubique apud Cartesium explicata, syllogismi nempe quod enthymema nuncupatur, pluribus visum est omnem suum valorem e syllogismi virtute mutuare. Cui interpretationi ansam Cartesius ipse dederat, dum in Principiis : « Ubi dixi, scribit, hanc propositionem : *ego cogito, ergo sum*, esse omnium primam et certissimam, quae cuilibet ordine philosophanti occurrat, non ideo negavi quin ante ipsam scire oporteat, quid sit cogitatio, quid existentia, quid certitudo ; item, quod fieri non possit, ut id quod cogitet, non existat » [2]. Et alibi : « Ante hanc conclusionem : *cogito, ergo sum*, sciri potest illa maior : *quicquid cogitat, est*, quia reipsa prior est mea conclusione, et mea conclusio illa nititur » [3]. In Methodo quoque : « Quia notabam, nihil plane contineri in his verbis : ego cogito, ergo sum, quod me certum

[1] Cf. *De Meth.* I. (AT. VI, 558 sq.) ; II. *Med.* (AT. VII, 24 sq.); I. *Princ.*, 7 .(AT. VIII, 6 sq.) ; *Rech. de la Vérité.* (AT. X, 515.)

[2] I. *Princ.*, 10. (AT. VIII, 8.)

[3] *Resp. ad quasdam difficultates &c.* (AT. V, 147.)

redderet eorum veritatis, nisi quod manifestissime viderem fieri non posse ut quis cogitet nisi existat... »[1].

Hac autem, ut patet, explanatione, *cogito, ergo sum* non prima esset certa et indubitata propositio, cum generalem aliam : *quicquid cogitat, est*, supponat. Constat autem quibuslibet aliis priorem a Cartesio perpetuo et constanter proclamari ; nec ullibi tantam attributionem infirmasse ipsa principii cartesiani testatur celebritas.

Confirmat insuper ipsa Cartesii explicita confessio : « Cum advertimus, habet, nos esse res cogitantes, prima quaedam notio est, quae ex nullo syllogismo concluditur ; neque etiam, cum quis dicit, *ego cogito, ergo sum, vel existo*, existentiam ex cogitatione per syllogismum deducit, sed tanquam rem per se notam simplici mentis intuitu agnoscit, ut patet ex eo quod, si eam per syllogismum deduceret, novisse prius debuisset istam maiorem, *illud omne, quod cogitat, est, sive existit ;* atqui profecto ipsam potius discit, ex eo quod apud se experiatur, fieri non posse ut cogitet, nisi existat »[2].

Quae doctrina eo magis firmior est quo cartesianae philosophiae est magis peculiaris. *Intellectus prius*

[1] *De Meth.* IV. (AT. VI, 559.)

[2] II. *Resp.* (AT.VII, 140.) — « Il importe de bien saisir le sens et la portée de cette proposition célèbre : car sur elle reposent et la conception cartésienne de la Pensée et la manière dont Descartes entend, dans l'espèce, le rapport de ce qui connaît à ce qui est connu. Tout d'abord l'existence de la Pensée n'est pas connue antérieurement à l'existence du Moi pensant : les deux termes sont saisis dans une indivisible unité. Dans tout acte de pensée, je découvre immédiatement l'essence pensante ; et dans cette essence, l'existence substantielle de celle-ci : de sorte qu'ici se trouvent confondues en un cas privilégié l'Idée, l'Essence, et l'Existence ou la Substance. » (Léon, *Les éléments cartésiens de la doctrine spinoziste, &c.*, p. 34-5, Paris, Alcan, 1907.)

cognoscit singulare, et, hoc semel percepto, e singulari et in singulari educit et apprehendit universale. Sic : « Ea est, inquit, natura nostrae mentis, ut generales propositiones ex particularium cognitione efformet »[1]. Propterea si quando propositionem illam forma includit syllogistica, non amplius de methodo inventionis quaestio est, ubi syllogismum nihil conferre novimus, sed de methodo demonstrationis et doctrinae, in qua interdum ad claram et perlucidam expositionem prodesse invenitur[2].

[1] II. *Resp.* (AT. VII, 140-1.) Cf. *Respons. ad quasdam diff.* (AT. V, 147.) — Hinc optime Spinoza : « Verumenimvero circa hoc fundamentum hic apprime notandum, hanc orationem : *dubito, cogito, ergo sum*, non esse syllogismum, in quo maior propositio est omissa. Nam si syllogismus esset, praemissae clariores et notiores deberent esse quam ipsa conclusio : *ergo sum ;* adeoque *ego sum*, non esset primum omnis cognitionis fundamentum, praeterquam quod non esset certa conclusio : nam eius veritas penderet ab universalibus praemissis, quas dudum in dubium auctor revocaverat. Ideoque *cogito, ergo sum*, unica est propositio, quae huic : *ego sum cogitans* aequivalet. » (I, 24.)

[2] « Faut-il supposer, pour concilier ces textes, en apparence contradictoires, que Descartes, surpris par les objections de ses adversaires, a modifié sa théorie, et qu'après avoir d'abord fait un syllogisme, il a tourné sa doctrine de manière à l'éviter ? Nous ne le croyons pas. Il suffit, pour exempter Descartes de tout reproche, de se rappeler sa théorie de la connaissance. Nous avons montré que, pour lui, c'est toujours l'intuition active et concrète de l'esprit qui se trouve à l'origine de la connaissance. Le syllogisme et les formes de la dialectique ne servent qu'à faire connaître aux autres ce que déjà on sait, mais non à le découvrir. Il en est ainsi des principes de géométrie que les enfants, quand on les leur enseigne, découvrent dans une intuition particulière avant de les connaître sous leur forme générale : il en est ainsi de ce principe si simple : *Il est impossible qu'en même temps une chose soit et ne soit pas ;* il en est ainsi, à plus forte raison, du *Cogito, ergo sum*, et, sur ce point,

In processu igitur inventionis, cui vacamus, propositio : *cogito, ergo sum* factum quoddam exprimit, quod sola mentis attenta et simplicissima intuitione percipitur : video me cogitare, et dum video me cogitare, video me esse. Cogitatio mea et exsistentia, quem ad modum quaelibet operatio et facultas, tali ad invicem intimo nexu copulantur, ut sine agentis ipsiusmet apprehensione actio nequeat apprehendi.

II

Idea clara et distincta : Certitudinis criterium.

Postquam sic Cartesius certam unam atque evidentem veritatem, quibuslibet scepticorum fictionibus inconcussam detegit, velut super firmum solum et Archimedis punctum inventum, totam scientifici aedificii molem exstruere et orbem movere progressus est universum.

A semetipso ergo petiit, unde tam mirabili evidentia et certitudine propositio illa gauderet, et quare, quibusque adductis hypothesibus, constans atque omni impetu victrix perstaret. At nullam aliam rationem deprehendit praeter unam hanc, quod valde clare atque distincte vera appareret. E facto dein singulari, quo praediximus more, ad generalem regulam exsurgens : *quicquid ita clare*, ait, *distincteque percipio, pariter certum est, verum est, inconcussum est.*

il ne semble pas que la pensée de Descartes ait jamais varié. Mais tout cela n'empêche pas que, les vérités, une fois découvertes, on ne puisse les mettre en forme de syllogisme. Il est même bon, de l'aveu de Descartes, de les présenter sous cet aspect, quand on veut les enseigner. » (Brochard, *o, l.*, p. 97-8.) Cf. Fouillée, *Descartes*, p. 92.

« Inquisivi, narrat ipse, quidnam in genere requiratur ut aliqua enuntiatio tanquam vera et certa cognoscatur : cum enim iam unam invenissem, quam talem esse cognoscebam, putavi me posse etiam inde percipere in qua re ista certitudo consistat. Et quia notabam, nihil plane contineri in his verbis : ego cogito, ergo sum, quod me certum redderet eorum veritatis, nisi quod manifestissime viderem fieri non posse ut quis cogitet, nisi exsistat, credidi me pro regula generali sumere posse, omne id quod valde dilucide et distincte concipiebam, verum esse »[1]. Similiter in III Meditatione : « Sum certus me esse rem cogitantem. Nunquid ergo etiam scio quid requiratur ut de aliqua re sim certus ? Nempe in hac prima cognitione nihil aliud est, quam clara quaedam et distincta perceptio eius quod affirmo ; quae sane non sufficeret ad me certum de rei veritate reddendum, si posset unquam contingere, ut aliquid, quod ita clare et distincte perciperem, falsum esset ; ac proinde iam videor pro regula generali posse statuere, illud omne esse verum, quod valde clare et distincte percipio »[2].

Quapropter idea clara et distincta universale certitudinis et veritatis criterium evincitur. Ideo prima ex quatuor antecedenter positis in Methodo regulis : « Nihil unquam, sonat, veluti verum admitterem nisi quod certo et evidenter verum esse cognoscerem..., nihilque amplius conclusione complecterer, quam quod tam clare et distincte rationi meae pateret, ut nullo modo in dubium possem revocare »[3].

[1] *De Meth.* IV. (AT. VI, 559.)
[2] AT. VII, 35.
[3] *De Meth.* II. (AT. VI, 550.)

Sollicitudo una et angustia in eo erit tota ut ideam claram et distinctam ab obscura et confusa satis distinguamus. Propterea summi habet Cartesius eius naturam et dotes in Principiis dilucide assignare : « Claram, inquit, voco illam, quae menti attendenti praesens et aperta est : sicut ea clare a nobis videri dicimus, quae, oculo intuenti praesentia, satis fortiter et aperte illum movent. Distinctam autem illam, quae, cum clara sit, ab omnibus aliis ita seiuncta est et praecisa, ut nihil plane aliud, quam quod clarum est, in se contineat. Ita, dum quis magnum aliquem sentit dolorem, clarissima quidem in eo est ista perceptio doloris, sed non semper est distincta ; vulgo enim homines illam confundunt cum obscuro suo iudicio de natura eius, quod putant esse in parte dolente simile sensui doloris, quem solum clare percipiunt. Atque ita potest esse clara perceptio, quae non sit distincta ; non autem ulla distincta, nisi sit clara » [1].

Quaenam vero artes ad ideam claram et distinctam efformandam sint exercendae, cartesiani omnes maximo studio notarunt. Sic, ex. gr., Le Grand et Claubergius ut mens clare et distincte quidvis percipere valeat, plenam et protractam attentionem super obiectum primo postulant : accedat quoque quod unum tantum eodem speculetur tempore, ne intellectualis virtus multitudine distrahatur ; auxilium conferat voluntas, cuius est, propter affectum quo ducitur, intellectus applicationem praebere atque servare ; in rebus maxime familiaribus tales nos habeamus considerantes, quales in rebus omni ex parte novis atque inauditis solemus habere, etc. [2].

Secundarum obiectionum auctores animadverte-

[1] I. *Princ.*, 45, 46. (AT. VIII, 22.)
[2] Cf. Le Grand, 104 sq. ; Claubergius, 786 sq.

rant : « Unde habes, quod in iis, quae clare et distincte putas te cognoscere, certum sit te neque decipi, neque posse decipi ? Quoties enim quempiam experti sumus deceptum fuisse in iis, quae sole clarius se scire credebat? Hoc igitur principium clarae et distinctae cognitionis ita clare et distincte debet explicari, ut nullus probae mentis possit nunquam decipi in iis, quae se clare et distincte scire crediderit ; alioqui nullum adhuc certitudinis gradum penes homines, seu apud te, possibilem cernimus »[1]. Respondet Cartesius : « Statim atque aliquid a nobis recte percipi putamus, sponte nobis persuademus illud esse verum. Haec autem persuasio, si tam firma sit ut nullam unquam possimus habere causam dubitandi de eo quod nobis ita persuademus, nihil est quod ulterius inquiramus ; habemus omne quod cum ratione licet optare... Sed dubitari potest an habeatur aliqua talis certitudo, sive firma et immutabilis persuasio. Et quidem perspicuum est illam non haberi de iis quae vel minimum obscure aut confuse percipimus... Non habetur etiam de iis quae, quantumvis clare, solo sensu percipiuntur... Superest itaque ut, si quae habeatur, sit tantum de iis quae clare ab intellectu percipiuntur. Ex iis autem quaedam sunt tam perspicua, simulque tam simplicia, ut nunquam possimus de iis cogitare, quin vera esse credamus : ut quod ego, dum cogito, existam... Nec obstat, quod saepe simus experti alios deceptos fuisse in iis quae sole clarius se scire credebant. Neque enim unquam advertimus, vel ab ullo adverti potest, id contigisse iis qui claritatem suae perceptionis a solo intellectu petierunt, sed iis tantum qui vel a sensibus, vel a falso aliquo praeiudicio, ipsam desumpserunt »[2].

[1] AT. VII, 126.
[2] II. *Resp.* (AT. VII, 144-6.)

Quibus omnibus perspicuum est ideam claram apud Cartesium consecrationem intuitus exsistere, non aliter ac sancit intuitus consecrationem intellectus.

III

Exsistens Deus ac verax : Certitudinis fideiussor.

Quicquid clare et distincte percipimus verum est, ac in tantum certitudinem consequimur in quantum clare et distincte obiectum aliquod attingimus. Quia autem veritas : intellectus cum re conformatio dicitur, non vero intellectus cum semetipso, clarae atque distinctae ideae realitas quaedam respondet. « Unde indubitatum est apud nos, Le Grand scribit, illud axioma : A nosse ad esse valet consequentia »[1].

Si igitur aliquid clare et distincte mente intuemur, illud absque omni dubio verum est ; sed non plus veritatis adipiscitur quam claritatis et distinctionis obtineat. Si claritas proinde et distinctio in ordine ideali seu possibilium exstet, obiectum erit in hoc ordine verum, et habebit respectum ad exsistentiam, tamquam quid potens actum nancisci : si autem claritas et distinctio non intra ordinis idealis et possibilium limites coactatur sed ordinem obiectivum atque actualem attingit, veritas cognitionis non tantum obiecti possibilitatem seu non-repugnatiam pro exsistentia, verum etiam realitatem et actualitatem denuntiat.

Quo semel definito, super ideas, quas veluti innoxias Cartesius retinuit, reflectens, unam invenit, quae clare et

[1] Le Grand, 20.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Ac super hanc pariter ideam amplius insistens, in Deo nullam fallaciam suspicari posse animadvertit. Etsi enim posse fallere acuminis aliquando et potentiae videatur argumentum, re tamen imperfectio quaedam est atque imbecillitatem vel malitiam testatur. Nequit proinde Deo perfectissimo convenire ut nos in errorem fecerit vel conducat. Atque proinde facultates, quae nobis a Deo sunt, in verum datas, hisque recte utentes in errorem venire non posse, consequitur [1].

Reliquum est igitur ut nihil in iudicando, plus quam cognoscitiva denuntiat facultas, negem vel affirmem : voluntas huius terminos non ultragrediatur et ab omni prorsus errore manebo innoxius.

382) ; *Notae in Prog.* (AT. VIII B, 361 sq.) ; *Lettres*, juillet 1641. (AT. III, 395 sqq.)

Praeter ontologicum hoc, ut dicitur, argumentum, duo alia Cartesius exhibet : primum quod ex origine illius desumit ideae. Cf. *De Meth.* IV. (AT. VI, 559.) ; III. *Med.* ; I, II, III et V *Resp.* (AT. VII, 40 sqq., 102 sqq., 133 sqq , 167, 183, 186, 364 sqq.) ; I *Princ.* 17, sqq. (AT. VIII, 11-12.) ; *Notae in Prog.* (AT. VIII B, 362 sq.) ; *Lettres*, 28 janvier 1641. (AT. III, 297), 23 avril 1649. (AT. V, 354) ; aliud quod ex origine nostri. Cf. *De Meth.* IV. (AT. VI, 560.); III *Med.*, I, II, III et V *Resp.* (AT. VII, 49 sq., 106 sq., 168 sq., 180, 360 sqq.) ; I. *Princ.*, 20 sqq. (AT. VIII. 12-3) ; *Notae in prog.* (AT. VIII B, 368-9) ; *Lettres*, 15 nov. 1638. (AT. II, 435), 28 janv. 1641. (AT. III, 297), 2 mai 1644. (AT. IV, 112.) Quae autem, licet in *Meth.* et *Med.* priori loco veniant, consulto omisimus : primo quidem propterea quod argumento a nobis allato in scriptis posterioribus principatum Auctor tribuit (ita in *Princ.* et in *Notis in Prog.*) ; postea etiam quia in ipso speciali modo insistit ; demum quia ceteris illud invenitur causa superius.

[1] Cf. *De Meth.* IV. (AT. VI, 562 sq.) ; IV *Med.* (AT. VII, p. 53 sqq.)

IV

Applicationes.

« Primum Dei attributum, dixerat Cartesius, quod hic venit in considerationem, est, quod sit summe verax, et dator omnis luminis : adeo ut plane repugnet ut nos fallat, sive proprie et positive sit causa errorum, quibus nos obnoxios esse experimur... Atque hinc sequitur, lumen naturae, sive cognoscendi facultatem a Deo nobis datam, nullum unquam obiectum posse attingere, quod non sit verum, quatenus ab ipsa attingitur, hoc est, quatenus clare et distincte percipitur. Merito enim deceptor esset dicendus, si perversam illam ac falsum pro vero sumentem nobis dedisset. Ita tollitur summa illa dubitatio, quae ex eo petebatur, quod nesciremus an forte talis essemus naturae, ut falleremur etiam in iis quae nobis evidentissima esse videntur. Quin et aliae omnes dubitandi causae, prius recensitae, facile ex hoc principio tollentur. Non enim amplius Mathematicae veritates nobis suspectae esse debent, quia sunt maxime perspicuae. Atque si advertamus quid in sensibus, quid in vigilia, quidve in somno clarum sit ac distinctum, illudque ab eo quod confusum est et obscurum distinguamus, facile quid in qualibet re pro vero habendum sit agnoscemus »[1].

Primae ideo notiones et principia communia, quae aeternae dicuntur veritates, etiam dum memoriae com-

[1] I *Princ.*, 19-20. (AT. VIII, 16-7.)

mendantur verae sunt, quia licet liberrime Deus ipsas statuerit, tamquam necessarias et aeternas stabilivit, nec quod semel decernit amplius mutat [1]. Mathematicae et similes, certae quoque sunt cum valde clarae apparent et distinctae ; ista etenim claritas ens quoddam est quod a Deo habemus, ac nobis alia praeter et supra intellectum, qua errorem detegamus, facultas non est data [2].

Verae iam sunt quaelibet e certis praemissis clare et evidenter haustae conclusiones, tunc quoque cum ad priores amplius non attendimus : quia memoriam in auxilium non in damnum a Deo possidemus, eaque

[1] « Encore que Dieu ait voulu que quelques veritez fussent necessaires, ce n'est pas à dire qu'il les ait necessairement vouluës ; car c'est toute autre chose de vouloir qu'elles fussent necessaires, & de le vouloir necessairement, ou d'estre necessité à le vouloir. » (*Lettres*, 2 mai 1644. AT. IV, 118.) — « On vous dira que si Dieu avoit establi ces verites, il les pourroit changer comme un Roy fait ses lois ; a quoy il faut respondre qu'ouy, si sa volonté peut changer. » (*Id.*, 15 avril 1630. AT. I, pp. 145-6.) Cf. Le Grand, *o. c.*, p. 152.

[2] « In iis autem quae sic non possunt explicari, nempe in maxime claris et accuratis nostris iudiciis, quae, si falsa essent, per nulla clariora, nec ope ullius alterius naturalis facultatis, possent emendari, plane affirmo nos falli non posse. Cum enim Deus sit summum ens, non potest non esse etiam summum bonum et verum, atque idcirco repugnat, ut quid ab eo sit, quod positive tendat in falsum. Atqui, cum nihil reale in nobis esse possit, quod non ab ipso sit datum (ut simul cum eius existentia demonstratum est), realem autem habeamus facultatem ad verum agnoscendum, illudque a falso distinguendum (ut patet vel ex hoc solo quod nobis insint ideae falsi et veri), nisi haec facultas in verum tenderet, saltem cum ipsa recte utimur (hoc est cum nullis nisi clare et distincte perceptis assentimur, nullus enim alius rectus usus ipsius fingi potest), merito Deus eius dator pro deceptore haberetur.» (II *Resp.* AT. VII, 143-4.)

sive in rebus agendis sive in artibus sive in scientiis indigemus quam maxime.

Verae pariter denuntiationes sensuum et instinctus, dummodo, ut perspicuum est, intra proprii obiecti limites se contineant.

Sed adsunt, dicet aliquis, his etiam non obstantibus, frequentes hallucinationes et errores : undenam, si natura in verum ordinatur, proveniunt ?

Cartesius respondet : *occasionaliter* esse ab iis ipsis facultatibus quas nacti sumus, dum ultra peculiaris obiecti terminos gradiuntur. Sic accidit error in iis quae sensus attinent, cum indebitis nec ab intellectu assignatis condicionibus, hi collocantur. Sic dum ex instinctu et perceptione doloris, qui subiectivam affectionem unice importat, de natura et proprietatibus ipsius causae decernimus. Sic in erroribus memoriae, dum diligentiam et provisionem contemnimus. Ita in inductione, dum pro certa admittimus conclusionem, cuius sequela logico et necessario nexu clare et evidenter obstringi ad principia non apparet. Si autem deductio ad intuitum, hoc modo et prout decet, reducatur ; memoria debitis curis tuta sit et diligentia ; instinctus et sensus, debitis omnibus condicionibus circumdati, intra proprium sistant obiectum, errandi occasionem praebere possunt nullam, quia error hic, non sine magna iniuria, in Deum summe veracem redundaret.

Sed licet facultates, mensura qua dicimus, erroris occasionem praebeant, non ipsis sed voluntati, non Deo creanti sed nobis, *directe et causaliter* errores, in quos incidimus, adiudicandi sunt. Nam error in iudicio consistit : iudicamus autem et a iudicando abstinere valemus voluntate. Si nihil amplius haec assereret vel negaret quam quod clare et evidenter ratio percipit, nullam falsam opinionem amplecteremur ; sed amplecti-

mur limitibus coerceri non sustinentes, et quia voluntas, virtutis infinitae cum sit, rationis transcendit ambitum, qui finitus et determinatus est, ac ultra id, quod clare et distincte ab intellectu percipitur, iudicans se pronuntiat.

Sed numquid hoc ipsum quod voluntas ultra intellectum virtute valeat, Deum auctorem non repetit ? Et sane, perfectio autem voluntatis summa est huiusmodi libertas, Deoque potius grati esse debemus qui contulit.

An forsan illud unum quod intellectui maiorem non dederit comprehensionem, Deum ipsum errorum partialem causam non denuntiet ? Et nequaquam : nullum etenim habet ius creatura a Creatore maiorem perfectionem exigendi.

Noster, et unice noster est defectus, qui facultatem tam perfectam, ut voluntas est, nacti, intra debitam proportionem in exercitio nullatenus cohibemus, atque ultra a ratione probatos fines relaxamus habenas [1].

[1] IV *Med.* (AT. VII, 52 sqq.) ; I *Princ.*, 31 sqq. (AT. VIII, p. 17 sqq.)

EPILOGUS

Dubii Cartesiani censura.

« Haec est, habet Zigliara, famosa methodus cartesiana, quae turbas infinitas in scholis excitavit, ab aliis excepta ut methodus e caelo delapsa, ab aliis vero acriter impugnata »[1]. Sunt, etenim, una ex parte, qui dicere audeant : « Cartesius, ausu plane temerario, ne dicam stulto, ex Absoluto Dubio arbitratur certae veritatis inquisitionem recte institui ; et ad caelum terramque movendam nullum aliud punctum postulat, ubi consistat, nisi vacuum »[2] ; et exstant alii, ex opposita, qui scribere non dubitent : « Quod maxime mirandum in Cartesii philosophico incepto, propositum illud est audax atque inauditum ab ipsa basi Philosophiam resumere, ab imis renovare, et super novum solum, iuxta hegelianum dictum, a fundamentis restituere. Quo quidem pacto iam evenit ut bis hanc in Occidenti ortam dicere possimus : primum, apud Graecos, Thale Milesio praeeunte, qui vix suspicabatur quod condebat : ac iterum duce Cartesio, qui et destinata modo optime noverat et adimpletionem apud animum statuerat »[3].

[1] Zigliara, *Sum. Phil.* I, 208-9.

[2] Ventura, *De methodo philosophandi*, Romae, 1828, p. 340.

[3] « Ce qui est vraiment saisissant dans son entreprise

Sed hactenus dubii occasionem exposuimus, processum explicavimus, dotes distinximus, fructusque demum ostendimus, Cartesii mentem, qua potuimus fidelitate et obsequio, in his secuti ; tempus est ut quid de exordiis, continuatione et exitu, inter tam oppositas sententias existimantes, ipsi cogitemus, pro fine et epilogo dicamus.

* * *

Et ante omnia consilio de propriae scientiae restauratione, quae dubio cartesiano pro scopo fuit, plane subscribimus.

Postquam etenim infantiae longos annos viximus, spontaneae vel directae certitudini omnino fisi, aetas accedit, qua praeformatas sententias et motiva pariter ponderare praestat.

Exigit primo habita institutionis ratio. Nam, uti Cartesius opportune notarat, fere omnes quas parvuli accepimus opiniones, absque sufficienti admisimus examine ; sensibus, inclinationibus, instinctui vel temperamento potius quam rationi obtemperavimus ; alieno iudicio potius quam nostro ipsos dedimus regendos. Provocant suscepti errores, quos, aetate progrediente, deteximus : omnis quippe qui tangitur lapsus, de propria imbecillitate sapientem admonet, edocetque simul latius patere terminos ignorantiae, quam limites

philosophique, c'est la résolution hardie et sans exemple qu'il a prise et exécutée de tout recommencer et de reprendre la philosophie par sa base, en reconstruisant sur un sol nouveau, suivant l'expression de Hegel. Ainsi on peut dire que la philosophie a commencé deux fois dans notre Occident : une fois en Grèce avec Thalès de Milet, qui ne se doutait guère qu'il inaugurait quelque chose de nouveau ; une seconde fois avec Descartes qui, cette fois, savait ce qu'il faisait, et voulait le faire » (*Revue des Deux-Mondes*, 15 janv. 1868, p. 362-3).

scientiae pateant. Petit pariter dimittenda falsitas, e qua ad veritatem traicere, nisi dubio mediante, non valemus : quia a plena assensione ad unum soli librato animo conceditur ad stabilem adhaesionem contrario transfretare.

Meretur etiam ipsamet veritas contingenda : quem ad modum enim nihil ita indolentes animos et pigros facit sicut bonorum, quae hi diligunt, plena et pacifica possessio, nihil pariter facit diligentiores ac ipsorum conscia indigentia. Dubitatio porro hoc habet peculiare quod, animum inter extremas partes ancipitem atque intranquillum sustinens, allicit et concutit ut certitudinem, qua sistat, persequatur. Hac ipsamet arte enituit verum primis philosophantibus : cum enim plures adverterent effectus, quorum causas ignorabant, inter varias, quae menti sese offerebant, dubitantes veram prosecuti sunt, nec prius ab inquirendo cessarunt, quam detexerunt certam.

At, quod dubitationem summopere commendat, ratio ipsa est certitudinis et natura. Certitudo quippe perfectam uni contrariorum significat adhaesionem, ut diximus, absque alterius ulla prorsus formidine. Sed haec minime a sapiente duce arcetur usque dum hostem in debellando devictum et inermem plane non noverit. Ideo « posterior, ut loquitur S. Thomas, investigatio veritatis, nihil aliud est quam solutio prius dubitatorum. Manifestum est autem (subdit) in solutione corporalium ligaminum, quod ille qui ignorat vinculum, non potest solvere ipsum. Dubitatio autem de aliqua re hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus et eumdem effectum demonstrat. Inquantum enim aliquis dubitat in tantum patitur aliquid simile his qui sunt stricte ligati. Sicut enim ille qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere, secundum viam corporalem, ita ille qui dubitat, quasi

habens mentem ligatam, non potest ad anteriora procedere secundum viam speculationis. Et ideo sicut ille qui vult solvere vinculum corporale, oportet quod prius inspiciat vinculum et modum ligationis, ita ille qui vult solvere dubitationem, oportet quod prius speculetur omnes difficultates et earum causas.

« Illi (propterea) qui volunt inquirere veritatem, non considerando prius dubitationem, assimilantur illis qui nesciunt quo vadant. Et hoc ideo, quia sicut terminus viae est illud quod intenditur ab ambulante, ita exclusio dubitationis est finis qui intenditur ab inquirente veritatem. Manifestum est autem quod ille qui nescit quo vadat, non potest directe ire, nisi forte a casu : ergo nec aliquis potest directe inquirere veritatem, nisi prius videat dubitationem.

« Sicut ex hoc (pariter) quod aliquis nescit quo vadat, sequitur quod quando pervenit ad locum quem intendebat, nescit utrum sit quiescendum vel ulterius eundum, ita etiam quando aliquis non praecognoscit dubitationem, cuius solutio est finis inquisitionis, non potest scire quando invenit veritatem quaesitam, et quando non ; quia nescit finem suae inquisitionis, qui est manifestus ei qui primo dubitationem cognovit » [1].

Probat etiam ipsa veritas. Haec etenim, quia sententiam et iudicium involvit in quo et perficitur, quod pariter ambae litigantium partes audiantur, expostulat. Qui enim, prout veteres aiebant, statuit aliquid, parte inaudita altera, aequum licet statuerit, haud aequus fuit. « Auditorem, habet S. Thomas, oportet iudicare de auditis. Sicut autem in iudiciis nullus potest iudicare nisi audiat rationes utriusque

[1] S. Thomas, in *III Metaph.*, lect. I. Ed. Coll. Angelici, n^is 339-41, p. 116

partis, ita necesse est eum, qui debet audire philosophiam, melius se habere in iudicando si audierit omnes rationes, quasi adversariorum dubitantium » [1].

Sed hanc agendi rationem ad speculationem, non autem ad praxim, iam patet extendi. Sicut infantes usu, imperfectorum licet, membrorum iam egemus, pariter homines facti in plurimis opinione et probabilitate nos ipsos conducere debemus. Multae enim sunt questiones quae totam vitam nostram ut cum certitudine solvantur postularent : alia autem negotia quoque sunt, quae propter innumeras, quas involvunt, circumstantias, numquam satis elucidari valerent. In iis igitur et similibus, quae vitam spectant, quaeque adimplenda sine mora instant, vel quae facultates multitudinis excedunt, communem sequi sententiam satis est, atque spontanea duci certitudine.

[1] S. Thomas, *l. c.* (Ed. Coll. Angelici, nº 342, p. 116). — In verbis Angelici Doctoris adducendis consulto insistimus, ut dubitationis momentum apud scholasticos, in quibus Princeps, satis pateat : adhuc etenim apud ipsos doctos scribitur : « Mettre en doute tout ce qui n'est pas absolument démontré, et n'accepter comme démontré que ce qui est évident : telle est la méthode cartésienne. Implicitement, il est vrai, toute la philosophie, y compris celle du moyen âge, pratique cette méthode ; car lorsque saint Thomas d'Aquin, dans la *Somme théologique*, commence en se posant cette question : *An Deus sit*, et qu'il répond sans hésiter : *Dico quod non*, il est évident qu'il a mis en doute toutes les vérités, même celle de l'existence de Dieu, et qu'il ne l'admettra qu'après avoir répondu à ses propres objections et établi cette vérité sur des preuves évidentes ; mais cette méthode, sans laquelle il n'y a pas de philosophie, saint Thomas et les autres philosophes la pratiquent sans en avoir conscience (*sic*) ». (Janet-Séailles, *Hist. de la Philosophie*, Paris, Delagrave, éd. IX, p. 837-8.)

Cum Cartesio pariter consentimus in Ethicae a dubio exclusione, propterea quod haec exclusio apud Philosophum, et hoc plures censores neglexerunt, temporalis sit et precaria. Morum enim disciplina, natura quidem sua, venit inter philosophicas postrema pars : actiones autem humanae vitae dilationem tantam non sustinent, et quasdam regulas pro certis habere necesse est, quibus ad tempus moderentur.

Et utinam non imparem fecerit veritatum quoque fidei exceptionem ! Sed hac simpliciter atque in perpetuum exclusit. Plurimum certe valuit apud ipsum ecclesiasticae auctoritatis metus, et, si una haec fuisset ratio, dignum existimarem qui donaretur venia. Adfuit autem et gravior causa : Cartesius, aetatis hic, sicut in ceteris, filius, non satis rationis et fidei mutuos respectus animadvertit, nec semel in eius scriptis duplicis veritatis doctrina legenti apparet. Revelata porro dogmata mysteria quidem sunt, captumque humanae intelligentiae in infinitum transcendunt : at non propterea minus rationabilia sunt, quasi mentis examen repellant. Ipsa humanae naturae dignitas, ipsum pariter divinum testimonium commonere debebant ut illarum quaereret aptitudinem et persequeretur intelligentiam : veniunt quippe a Deo, fonte veritatis ; veniunt ad homines, qui verum cupimus, veritate sustinemur. In hoc quidem infra ipsos Scholasticos Cartesius mansit. Illi enim methodicam dubitationem non modo in philosophicis, verum etiam in theologicis instituerunt : nullus adest articulus ubi per dubium quaestio non solvatur in tota S. Thomae Summa. Et cum semel ab ipso peteretur « an liceat disputare an anima Christi sit ex traduce », respondit : « non video quare hoc non liceat ; cum tota die in scholis Magistrorum disputetur et de Trinitate et de aliis articulis

fidei, non propter dubitationem, sed propter veritatis intellectum et confirmationem »[1].

Inferius quoque scholasticis restitit in quaestione alia ipsi Theologiae praeliminari examinanda : certum quidem est quamlibet fidei propositionem, utpote a Deo divinitus revelatam, firmiter esse atque incunctanter tenendam, at prae ceteris constare nobis necesse est utrum, omni excluso dubio, illa testificatio a Deo procedat. Philosophi igitur in partes venit illorum causa quae dicuntur credibilitatis testimonia, et in ipsa Naturali, ut aiunt, Theologia haec quaestio generatim agitanda est ac pariter solvenda.

* * *

Ad cartesianae dubitationis proprietates modo devenientes, priorem illam, quod scilicet, dubium necessario reale sit, admittere prohibemur.

Et primo propter factum psychologicum. Continuo quippe videmus, quam sit difficile, illos, qui, quam olim tenuerunt sententiam, semel pro dubia reliquerunt, gradum revocare atque ad priorem illam demum converti. Officit enim, cuius est magnum influxum habere, personalis nostra, qua maxime tenemur, dignitas. Quae non modo dum publice fit redditur, ad ea, circa quae facta erat retractatio, laeditur, verum et cum tacite atque apud se fit conversio, in nostra ipsamet existimatione minuitur.

Obstat pariter ipsa a veteri firmitate retractatio. Eo enim ipso quod pristinam opinionem veluti incertam relinquimus, praeiudicium iam incurrimus, virtute cuius convertimur ad oppositam.

[1] *Opusc. IX. Resp. ad Mag. I. de Vercellis.* — *Opera*, ed. Vives, Paris, 1880, sqq., vol. XXVII, p. 253.

Adest etiam quod non impune reali quis dubitationi se commendat. « Suapte natura, inquit Sentroul, mentem non magis veritatem quam errorem versus ducit ignorantia : dubium porro qua tale, iuxta id, nempe, quod in eo dubitationis est, prae vasto atque inexplorato campo intellectum statuit, nullam perticam vel indicem lapidem in hoc collocans quibus mens iuvetur. Quia autem quaelibet quaestio secum fert iuxta veram unam solutionem infinita falsa responsa, realis dubitatio ad veritatem communiter non ducit, nisi super errorum plurimorum procedens rudera »[1]. Exempla in historia philosophiae satis abundant : quaelibet veritas non nisi post longas controversias dilucidata est, ibique maior semper fuit errantium numerus, quam attingentium.

Et forsan discrimen hoc Cartesius non recognovit, dum scripsit : « Quamvis ignis et ferrum âb imprudentibus aut pueris sine periculo non tractentur, quia tamen utilia sunt ad vitam, nemo est qui putet idcirco ipsis esse carendum »[2] ?.

Sed periculosum dubium reale cum sit, nec ipsa, quam auctor dicit, utilitate legitimatur. Nam plane innecessaria et superflua est realis dubitatio.

Si agatur, primo, de errore, in quem quis inciderit,

[1] « Par elle-même, en effet, l'ignorance n'oriente pas plus l'esprit vers le vrai que vers l'erreur : le doute, comme tel, dans ce qu'il a de dubitatif... met l'esprit en présence d'un vaste champ à explorer ; mais on ne plante aucun jalon à travers ce champ. Or, comme chaque question comporte, à côté d'une réponse vraie, un nombre indéfini de réponses fausses, le doute réel n'aboutit généralement au vrai que sur les ruines d'un grand nombre d'erreurs. » (Sentroul, *l. c.*, p. 442.)

[2] *IV Resp.* (AT. VII, 247).

detegendo : quia, licet ab errore ad veritatem nemo, nisi dubio reali medio, desciscat, peculiare hoc ficticiae dubitationi est, ut, falsum cum detegerit, reali atque seriae praestet locum, quo transitus verificetur. Ita ille qui factam recognoscere vult arithmeticam computationem, iterum subducit ficticie et hypothetice dubitans : quam si falsam detegit, tunc, serio diffidens, pro contraria praecedenti sententia decernit.

Sed maxime innecessarium atque inutile dubium reale est, dum de habita veritate examinanda agitur. Quamvis enim haec veritatis indicia, quae remanent, animum praedisponere et cohibere prima fronte appareat, abest tamen quod ita re sit, quodque veritas, quae est examinis exitus, minorem firmitatem nanciscatur. Pro nihilo quippe ibi intervenit, ut laedat, habita memoria, atque de cetero res ex eventu iudicabitur. Quem ad modum non propterea viator de via declinare dicendus, quia lapidibus milliariis signatam sequitur, neque terminum minus indubitato, cum ad ipsum pervenit, attigisse : ita pariter nec ille qui in exploranda veritate praeteritam opinionem alia ex parte servat ; cuilibet enim ipse, quo pervenerit, demonstrabit exitus postremus : viatori civitas in quam tendebat, philosopho veritas quam sectabatur.

Immo ex hoc ipso quod dubium ficticium tutius est, meliorem et pleniorem in animo haesitantis exsequitur condicionem. Ipsa salutis firma persuasio, quae exstat, omnem errandi formidinem amovet, ac taliter dubitans facilius et confidentius in dubitatione procursat, quo certior est in ipso quoque extremo non periclitari ; ad modum quo maiori impetu se dat in mare praecipitem et securior progreditur, qui prope habens tabulam certus est se demum in terram enaturum.

* * *

Sed omnia haec, quae usquemodo contra dubium cartesianum diximus, potius quaedam extrinseca, quam naturam eius tangere satis liquet : petitur inde, utrum quod ad ea quae intra proprios limites recipit et ad quae modo reali, licet innecessarie, potest adhiberi, ullum adhuc intrinsecum vitium in se contineat.

Duae vero nobis restant proprietates considerandae : prior quae motivum, nempe, spectat, atque altera quod tangit extensionem. At utramque simul examinare debemus, propterea quod ex mutuo ad invicem utriusque respectu, censura nostra sit efformanda. Et quia dubium certo positivum esse invenimus, universale autem vel particulare non nisi magna cum probabilitate utrobique impugnari, quid de dubio positivo simul et particulari sentiendum sit modo dicamus ; ad postremum locum de positivo pariter atque universali sermonem reservantes.

Et obiciam primo Cartesio quod nullo iure, quin etiam summa iniuria, dum ceteras facultates suspectas habuit, intuitionem infallibilem sustinuit.

Nullo prorsus habito iure, dixi : ab ipsis enim dubitationis exordiis mentem suam aperiens, semel atque iterum ac perpetuo sensus et instinctum, imaginationem et memoriam fontes erroris ac causas haberi, minime vero intellectum Cartesius testatur. Sed quare, dum alias facultates reicit, intuitum admittit ? An a priori consideratae, non omnes pariter infra obiecti limites fidem postulant ac veritatem denuntiant ? Eadem prorsus in favorem omnium cognoscendi facultatum ratio militat. Omnes etenim peculiare habent obiectum, sicut et peculiarem formam : et cum tota

earum causa actus exsistat, hunc attingere omnes credendae sunt ad quem natura sua essentialem respectum exprimunt.

Sed addo : omni etiam iniuria ! Nam si dubitandi ratio error affertur in quem, naturali ducti facultate, prolapsi sumus, nonne ipsiusmet intuitionis errores Cartesius exhibet ? Aliquando circa res geometricas facillimas nonnullos talli comperimus : errasse quoque in principiis quae hactenus putabamus per se nota. — At errores hi, inquit, non ipsa durante intuitione, verum memoriae recordatione committuntur — Quasi somnum a vigilia discernere possemus, atque plura in somnis velut per se nota non acceperimus, quae vigilantibus falsa prodeunt vel minus evidentia ! an ipsi dormientes se pro mortuis non crediderint ? — sed imaginationis error est, licet non mentis. — Quid autem si Iamus nos vel ab omnipotenti Genio illudi, vel a causa imperfectissima produci ? Undenam, imperfectae veritatis rem simus, eius potentissimae insidias fingere valemus ? Vel numquid talis ac tanta imperfectio videri, imperfectissimo repugnaret et effectus producens qui ea in se quae nata ac destinata vident minutius investigantur ? Negabunt cartesiani quantum velint, a Dei posse notione ne aliquem non fallat, omnipotens efficere ut nulla prorsus sit falsa, nullum verum, nullum corpus nullus locus existat, et tamen haec omnia non aliter a nobis videantur ac iis apparere quae vere sunt. Quae omnipotens et immensus et modestus homo quo pacto diluat non video, nisi dicat, ei [illegible] quod [illegible] Deo vel Genio omnipotenti [illegible] ipsum et omnipotentia simul [illegible] nisi [illegible] quae [illegible]

atque distincte percipit se non falli credat ? Forsan facultas ad verum non est perfectio quaedam ? Ordo, quem dicit, in obiectum, causam in illo genere perfectam non supponit ? Igitur si a causa ponamus nos imperfectissima productos, indubium remanere nequit ipsum intuitionis testimonium. Vel ab omnipotenti ludimur, et eius manus impotens creatura evadere non potest ; vel ex imperfecto principio sumus naturam nacti, et tunc nullam amplius perfectionem nobis tribuere valemus [1].

Et si vitium logicae in excipienda a priori intuitione commisit, aliud quoque in ipsamet adhibenda perpetravit. Nam si intuitio non modo circa conscientiae versatur testimonium, verum et circa quaelibet, pari vi eodemque modo, ideae sint vel propositiones, quae clare et distincte percipiuntur (ut processus ad Dei usque exsistentiam et perfectionem demonstrat), quare propriam sui ipsius cogitationem atque exsistentiam velut primum et fundamentale, unum inconcussum principium Cartesius proclamat ? An quaelibet per se nota propositio, intuitus pari cum fulciatur valore, non idem prorsus ius quod ipsum τό *cogito* vindicat ? Dei veracis exsistentia, ab eius una idea

[1] « En fin de compte, ait Brochard, le doute méthodique est légitime. Ce qu'on pourrait contester, c'est la théorie de l'intuition. Pourquoi, si l'on suppose un malin génie, l'intuition elle-même est-elle infaillible ? Descartes répond à cela qu'il prend cette intuition et la certitude qu'elle donne comme un fait : il s'efforce vainement de douter ; la vérité s'impose à lui, et il est convaincu qu'elle doit s'imposer de même à tout esprit. Au fond de sa théorie, il y a sans doute un acte de la volonté qui adhère librement, mais sans pouvoir faire autrement, tant l'évidence nous persuade, à la vérité aperçue » (Brochard, *op. l.*, 96).

manifestata, nonne prae *cogito, ergo sum* menti potuit effulgere ? An contradictionis principium quidnam virtutis mutuatur a τό *cogito* ut nequeat antecedenter ad ipsum apprehendi ?

Dicet quis forsan sive ideam Dei sive quodlibet per se notum principium mentem iam supponere ubi sint, et per consequens propriam cogitationem et exsistentiam implicare. At plane aliud est id de quo quaeritur. Non enim agitur de ordine ontologico, sed de processu logico : quaeritur non utrum possit dari cogitatio absque exsistentia, vel idea absque cogitatione : sed utrum cogitatio propriae cogitationis et exsistentiae praecedere debeat vi sua cogitationem de quolibet obiecto alio. Et hic praecise exstat nodus expediendus, nec, si ad naturam respectus habeatur, erit solutio cartesianis favens.

Neque fiat vis in hoc quod in τό *cogito, ergo sum*, quaestio est de subiecto, de obiecto autem in reliquis : generalis enim evidentiae criterium ex τό *cogito* deductum talem distinctionem non patitur.

Tam celebrata igitur inventio : *cogito*, nempe, *ergo sum*, prior licet forsitan menti occurreret, casu tamen primatum obtinebit : porro nec sors regulam parit, nec principium omnis scientiae fortuna gignit [1].

* * *

Ponamus igitur ut vitium contra Logicam vitemus, quaslibet cognoscendi facultates, sensus, instinctum,

[1] De iis qui casu aliquid inveniunt Cartesius dixerat : « non nego illos interdum tam feliciter errare, ut aliquid veri reperiant ; ideo tamen non magis industrios esse concedo, sed tantum magis fortunatos. Atqui longe satius est, de nullius rei veritate quaerenda unquam cogitare, quam id facere absque methodo. » (*Reg. IV* — AT. X, 371).

memoriam, deductionem et intuitum haberi suspectas : demus nullum eorum quos usque modo veri fontes credidimus certum amplius manere, post errorum detectionem, ac maxime post somni, Genii omnipotentis fallacis, vel imperfectissimi creatoris hypotheses : omnes quas perspeximus reiciamus propositiones : quae umquam intuiti sumus, quae modo pariter intuemur, una simul tamquam dubia et incerta deponamus : deberemus tunc cartesianae dubitationi, quae praedictas rimas explere ponitur, obsequenter plenaque manu subscribere ? Non magis, certe. Nam si de qualibet facultate positive diffidimus, nulla in reaedificando adiutrix manet qua utamur.

Dum vigiliam a sommo certis indiciis non distinguamus, numquam possumus certos esse nos non dormire : quam etenim adhibebimus cautionem ? An connexionem cum ideis vitae anteactae ? Sed manet probandum non somniare talia dum connectimus.

Dum Deum pariter fontem veritatis non detexerimus, quo possemus tuti certioresque fieri, quod in maxime primis cogitationibus non fallamur ? Et si a creatore imperfectissimo originem habere ponimus, cuius auxilio, summe impotentes cum simus, in iis quoque maxime claris atque distinctis, ne in errorem incidamus cavebimus ?

Criterium invenientes, ait Cartesius, quo omnes has hypotheses absque ullo prorsus fundamento detegamus. Sed peto, quo ad hoc subsidium detegendum perveniemus ? An ipsomet imbecillo intellectu, vel qualibet alia infirmata facultate ? Et quanam tunc gaudere certitudine quod infirma nititur basi atque instrumento dicemus ?

Hinc iam clare patet quomodo positivum et universale dubium in angiportum conducat penitus impervium : vel alicui facultati seu criterio fidimus, et tunc

cetera possent forsan huius adiutorio salvari ; vel non fidimus, et tunc nullus est exitus quo salvare valeamus nos ipsos.

Vitii huius vituperationem iam P. Bourdin Cartesio fecerat, qui eius verba facete sic transcribit : « Stabant uterque (caementarius et architectus : Bourdin et Cartesius) in fossae fundo, ibique Architectus sacelli sui constructionem incipere conabatur ; sed frustra. Nam primo, cum ibi lapidem quadratum locare vellet, statim a Caementario monebatur se iussisse ut lapides omnes reiicerentur, atque hoc ideo pugnare cum regulis suae artis : quo verbo, tanquam Archimedea demonstratione vinctus, ab opere desistere cogebatur. Cumque deinde caementa, cum lateres, cum calcem, aqua et sabulo fermentatam, sive quidvis aliud assumebat, semper ingerebat Caementarius : Omnia reiecisti, Nihil retinuisti, solisque istis verbis, Nihil, Omnia, etc., tanquam incantamentis quibusdam, omnia eius opera destruebat »[1]. Proculdubio quidem si materias pro infirmis, et propterea quod infirmae essent, reiecit, nullo amplius iure, quoadusque firmae non reddantur, ab ipsomet valent pro firmis et inconcussis adhiberi.

Ideo Rabier Cartesium itineranti comparat, qui via metuens errare utrumque praecideret pedem[2] : nulla ultra manet progrediendi facultas. Verius autem, ut Montagne emendat, compedes indidit, ut gressum, his non obstantibus, tentaret[3]. Nam Cartesius, falli

[1] *VII. Obi* (AT. VII, 540-1).

[2] Cit. a Farges, *La Phil. de Descartes*, p. 9.

[3] « La comparaison (de M. Rabier) n'est pas tout à fait juste. Descartes n'a pas coupé ses deux jambes ; il les a fortement liées pour montrer qu'il pouvait marcher malgré cel.. Il a marché, oui, mais après avoir brisé les liens qui l'attachaient et en se servant des deux jambes dont il s'était

pertimescens, omnibus veritatis fontibus in posterum renuntiavit : at facultates propterea non exuit, suspicione reddidit inertes ; et, dum adiectas impossibile haberet denuo sumere, ligatas facile fuit solvere cum voluit.

* * *

In responsione ad obiectiones Bourdin Cartesius pro maximo argumento ad exitus appellat : « Quamvis iam, dicit, Architectus omnes fossas a se primum factas lapidibus implevisset, atque ibi sacellum suum ex solidissima materia firmissime construxisset, manebat ille (caementarius) nihilominus in eadem spe et instituto, nugas suas cunctis hominibus persuadendi » [1]. Probemus igitur, ne eamdem incurramus reprehensionem, sacelli firmitatem a Cartesio constructi : exsistentiae, scilicet, sui ex *cogito*, quod est certitudinis omnis principium ; ideae clarae et distinctae ex illo dato particulari, quae est certitudinis criterium ; Dei exsistentis ac veracis ex idea clara et distincta, qui est certitudinis fulcimentum ; valoris demum, ex Dei veracis exsistentia, ceterarum vel omnium cognoscendi facultatum.

* * *

Ideo, cogito, ergo sum, undenam potest pro certo sustineri ? Intuitione, proculdubio, mediante. At intuitus infirmus et imbecillus est compertus : debuit igitur antecedenter restitui. Cartesius respondet in ipsa τοῦ *cogito* evidentia restitutum. Sed de causa hic agitur et effectu in cognoscendi ordine, illamque, vel

interdit l'usage. » (MONTAGNE, *Le doute méthodique, selon S. Thomas d'Aquin* — Revue thomiste, 1910, 442).

[1] *VII Resp.* (AT. VII, 538.)

una natura, hunc praecedere necesse est, cum et esse et rationem essendi suppeditet. Vel *cogito* ab intuitione probatur, vel intuitus ex *cogito* verus convincitur. Neutrum autem valet : non primum, propterea quod intuitio suspecta et dubia iam ponitur ; non alterum, quia τό *cogito* una intuitione nititur. Advertant quoque cartesiani, si vel unicus error ad infirmandam facultatem in dubii explicatione suffecit, universalem facultatis suspicionem ad testimonium particulare enervandum satis a fortiori valere.

Attamen, dicet aliquis, propositio : *cogito, ergo sum*, tali refulget peculiari evidentia ut nullatenus possit in dubium revocari : ipsamet sui negatione affirmatur.

Et optime plane : sed nonne plures aliae exsistunt similes propositiones ? Et Cartesius dubitans utrum duo tribus iuncta quinque efficerent, nonne pariter destruit bini et terni ideam ? Certum quidem est *cogito, ergo sum* quamlibet positionem superare. Sed est ratio quod omnes has quascumque positiones ipse est ego, qui, cogitans, confingit [1].

[1] Ad rem Balmes : « El hombre al trastornarlo todo, al arruinarlo todo, al anonadarlo todo, se encuentra consigo mismo, que es quien trastorna, arruina y anonada. Cuando haya llegado a dudar de la existencia de Dios, del mundo, de sus semejantes, de su cuerpo, en medio de aquella inmensa soledad se encuentra todavía a sí mismo. El esfuerzo por anonadarse a sus propios ojos, solo sirve para hacerle más visible : es una sombra que no muere con ningun golpe, y que por cada herida que se le abre despide nuevos torrentes de luz. Si duda que siente, siente al menos que duda ; si duda de esta duda, siente que duda de la misma duda ; por manera que en dudando de los actos directos entra en una serie interminable de actos reflejos que se encadenan por necesidad unos con otros, y se desenvuelven a la vista interior como los pliegues de un lienzo sin fin. » (*Fil. Fund.*, I, 104.)

At non amplius agitur de aliqua propositione se de aliquo facto, quod directe et immediate afficien animam, immediate et directe denuntiatur ab anim sic affecta. Quod utique factum, quia particulare est concretum et individuum, implicat simul et manifesta subiectum cuius velut accidens exsistit [1].

[1] In quo tamen nulla peculiaris Cartesio est gloria. Mult enim ante iam S. Augustinus scripserat : « Nam et sumus et nos esse novimus, et id nosse ac esse diligimus. In his auter tribus quae dixi, nulla nos falsitas verisimilis turbat. No enim ea, sicut illa quae foris sunt, ullo sensu corporis tangimus velut colores videndo, sonos audiendo, odores olfaciendo sapores gustando, dura et mollia contrectando sentimus quorum sensibilium etiam imagines eis simillimas, nec ian corporeas, cogitatione versamus, memoria tenemus, et pe ipsas in istorum desideria concitamur : sed sine ulla phanta siarum vel phantasmatum imaginatione ludificatoria, mih esse me, idque nosse et amare certissimum est. Nulla in hi veris Academicorum argumenta formido, dicentium. Quid, s falleris ? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique ne falli potest : ac per hoc sum, si fallor. Quia ergo sum si fallor quomodo esse me fallor, quando certum est me esse, si fallor Quia igitur essem qui fallerer, etiamsi fallerer ; proculdubio i eo quod me novi esse, non fallor » (*XI De Civitate Dei*, c. xxvi — P. L. XLI, 339-40). Et S. Thomas : « ...Non ergo per essen tiam suam, sed per actum suum se cognoscit intellectus noster et hoc dupliciter : uno quidem modo particulariter, secundur quod Socrates vel Plato percipit se habere animam intellectiva ex hoc quod percipit se intelligere. Alio modo in universali. Est autem differentia inter has duas cognitiones. Nam a primam cognitionem de mente habendam sufficit ipsa menti praesentia, quae est principium actus, ex quo mens percipi seipsam ; et ideo dicitur se cognoscere per suam praesentiam... (*Summa Theol.*, p. I, q. 87, art. 1. — *Opera*, Vives, I, 549-50). E alibi : « Quantum ad actualem cognitionem, qua aliquis consi derat se actu animam habere ; sic dico, quod anima cognoscitu per actus suos. In hoc enim aliquis percipit se animam habere et vivere et esse, quod percipit se sentire et intelligere, et ali huiusmodi vitae opera exercere ; unde dicit Philosophus i

Agitur ideo, non de testimonio, ut aiebant veteres, *intellectus*, sed personalis *conscientiae*. Ambo equidem sub cartesiano intuitu comprehenduntur, at fuit haec tam diversorum confusio iniuria maxima. Exstat proinde *cogito, ergo sum*, omnino incolume, ut factum conscientiae consideratum, at non praecise et formaliter ut ingrediens intuitionis ambitum.

* * *

Cartesius, una semel, ut ipse vult, veritate immobili detecta, ad certitudinis universalem normam continuo exsurgit, et cum nihil in priori invenerit quo inconcussa reddatur, praeter claram et distinctam perceptionem, omne, arguit, quod pari claritate atque evidentia umquam detegam, similiter verum est, certum est, inconcussum est.

Ad hanc porrectionem venio.

Cogito, ergo sum, vi atque valore conscientiae, habemus ex qualibet parte firmum et certum : quomodo e singulari facto ad regulam universalem Cartesius exsurgit ? Non equidem conscientiae innixus testimonio : nam haec animae tantum proprias affectiones denuntiat, factum intimum concretum et personale consignat, et ultra non progreditur. Porro enuntiatum evidentiae criterium impersonale est, generale est, et ad facta sive ad ideales veritates in doctrina cartesiana porrigitur.

IX Ethic., c. IX, « Sentimus autem quoniam sentimus ; et intelligimus quoniam intelligimus ; et quia hoc sentimus, intelligimus quoniam sumus ». Nullus autem percipit se intelligere nisi ex hoc quod aliquid intelligit : quia prius est intelligere aliquid quam intelligere se intelligere ; et ideo pervenit anima ad actualiter percipiendum se esse, per illud quod intelligit vel sentit. » (*Quaest. Disp. De Veritate*, X, art. 8. — *Opera*, Vives, XIV, 561.)

Eget propterea intellectus adiutorio ; sed intellectus infirmus initio positus, nondum fuit convenienter reparatus. Nemo dat quod non habet ; atque in lubrico atque instabili solo firmae nequeunt aedes constitui. Debuisset igitur Cartesius parcere intellectui : hac una ratione et a singulari facto ad generalem normam assurgere valeret. Debuisset pariter illi remittere quaecumque ipsi sunt iura, quaecumque bona : hoc enim pacto clivus mollis fuisset, nedum pervius. Necesse etenim habebat an illa una esset ratio certitudinis, secundum methodum eliminationis, scrutare ; quod quidem primo ictu difficulter, ne plura dicam, obtinetur.

Et semel criterio hoc certitudinis detecto non adhuc posset quis, prout vult ille, eius limites extendere : quicquid ita clare et distincte percipitur, verum est atque inconcussum est, sed par claritas et distinctio uni soli conscientiae testimonio potest convenire. Facta igitur interna eadem certitudine gaudebunt, cum pari nitescent distinctione et claritate, cetera autem quae conscientiae provinciam exeunt, non illa ipsamet regula moderantur.

* * *

At ultra prorogantur fines criterii dum hoc a Cartesio in idearum, quas servavit, explorationem adhibetur, quarum adiutorio ad Deum evehitur, omnis evidentiae et claritatis criterii fideiussorem.

Triplex hic particulare vitium exprobrabo : primum radicis, alterum arboris, fructusque tertium.

Iudiciis omnibus in generali dubio valedicens, Cartesius quas habebat notiones atque ideas omnes retinuit : Ideae, dixerat, si in se tantum spectentur,

falsae proprie esse non possunt : nullus propterea exstat errandi locus, cui impingere sit cavendum.

Infausta securitas ! Nam, si certum omnino est in iudiciis tantum veritati, falsitati et errori formali locum adesse, quaedam falsitas et veritas et error materialis et occasionalis ipsis ideis convenire valet. Idem Cartesius animadverterat : « Est tamen profecto quaedam alia falsitas materialis in ideis, cum non rem, tanquam rem repraesentant : ita, exempli causa, ideae quas habeo caloris et frigoris, tam parum clarae et distinctae sunt, ut ab iis discere non possim, an frigus sit tantum privatio caloris, vel calor privatio frigoris, vel utrumque sit realis qualitas, vel neutrum. Et quia nullae ideae nisi tanquam rerum esse possunt, siquidem verum sit frigus nihil aliud esse quam privationem caloris, idea quae mihi illud tanquam reale quid et positivum repraesentat, non immerito falsa dicetur, et sic de caeteris » [1].

Idea igitur praestat occasionem errandi, cum velut positivum quicquam exhibet cuius omnis natura in negatione consistit : quia autem hoc inde profluit quod idea non satis clare et distincte menti elucescit, hanc errandi formidinem ut satis levem aspernamus.

Adest porro altera falsitas et maioris momenti : Ipsemet alibi : « Est nihilominus (in ideis), inquit, materia errandi, etiamsi eas ad nullas res extra me referam, cum possim errare in ipsa earum natura, ut si considerem ideam coloris, et dicam eam esse rem, qualitatem, seu potius ipsum colorem, qui per eam ideam repraesentatur, tale quid esse ; ut si dicam albedo est qualitas, etiamsi illam ideam ad nullam rem extra me referam, ac dicam vel supponam nullum

[1] *III Med.* (AT. VII, 43-44).

esse album, possem tamen in abstracto, et in ipsa albedine eiusque natura seu idea, errare »[1].

Error igitur in ipsa natura ideae inveniri potest[2]. Cartesius propterea, sola iudicia reiciens, immerito se putavit securum.

Sufficit vel una hac falsitate laborans idea ut quaecumque corollaria eruantur pari modo labefactentur. Debuisset igitur Cartesius ipsas pariter ideas reicere, vel saltem, utrum rectae aut minus essent, habitas notiones diligenter examinare. Omisit autem, ansam eo facto intellectui praebens qui circa ipsas ideas explicandas totus dein incumbere debebat[3]. Est vi-

[1] *Resp. ad quasdam difficult.* (AT. V, 152.)

[2] Variam hanc idearum falsitatem profecto a scholasticis Cartesius recepit. Sic, ex. c., quod ad alteram, quae praecipua est, S. Thomas : « Falsitas intellectus solum circa compositionem intellectus est ; per accidens etiam in operatione intellectus, qua cognoscit quod quid est, potest esse falsitas, in quantum ibi compositio intellectus admiscetur. Quod potest esse dupliciter. Uno modo, secundum quod intellectus definitionem unius attribuit alteri, ut si definitionem circuli attribuat homini ; unde definitio unius rei est falsa de altera. Alio modo secundum quod partes definitionis componit ad invicem, quae simul sociari non possunt : sic enim definitio non est solum falsa respectu alicuius rei, sed est falsa in se ; ut si formet talem definitionem : animal rationale quadrupes ». (*Summa Theol.*, p. I, q. 17, art. 3. *Opera*, Vives, I, 137. — Cf. QQ. DD. *De Verit.*, q. 1, art. 12 ; in *IX Met.*, lect. 11.)

[3] Optime Hamelin : « Descartes, se plaçant à un point de vue réaliste, reconnaît qu'il serait fâcheux d'attribuer un idéat à une idée qui n'en a point parce qu'elle est toute négative. Il serait plus fâcheux encore de former une prétendue notion par l'assemblage d'éléments incompatibles entre eux. Cela suffirait à créer une fausseté dont l'importance serait considérable, car Descartes lui-même reconnaît que l'esprit spécule parfois, en mathématiques par exemple, sur de pures et simples idées sans s'occuper de savoir si les idées ont ou non des idéats. Or il est évident qu'une notion fausse, introduite dans

tium radicis, et parem fortunam ipsam arborem subire iam necesse erat.

« Idem est dicere, habet Cartesius, aliquid in rei alicuius natura sive conceptu contineri, ac dicere ipsum de ea re esse verum. Atqui existentia necessaria in Dei conceptu continetur. Ergo verum est de Deo dicere, necessariam existentiam in eo esse, sive ipsum existere » [1]. Ex ipsa, in qua errorem non suspicatur, idea Infiniti, eius exsistentiam (postea et veracitatem) argumentatur. Sed debuisset antecedenter utrum idea quam de Deo possidebat ipse recta esset perpendere. Atheus etiam habet conceptum de Deo, qui, iuxta ipsummet, exsistentiam Dei expresse excludit, nedum necessario involvat. Nonne ab eo pariter talis ideae abdicationem Cartesius postulasset ? Quare igitur a se non petiit quaenam ex duabus ideis inveniatur

de telles spéculations, y sera une source indéfinie de faussetés. Descartes a donc eu grand tort de ne pas se rendre mieux compte de tous les genres de fausseté que comportent les idées et de soustraire les idées, dans lesquelles nous sommes si exposés à faillir, à l'épreuve du doute. Il y a là, dans les fondements de son système, une lacune par laquelle il menace de s'écrouler et de s'écouler tout entier dans le sable. En effet, l'opération essentielle et primordiale de l'intelligence, c'est pour lui, comme nous le savons, non le raisonnement ou le jugement, mais l'intuition. Il travaille, au moins pour autant qu'il est intellectualiste, à ramener tout raisonnement et tout jugement à l'intuition, c'est-à-dire à l'idée ; car, ne l'oublions pas, non seulement les raisonnements et les jugements se fondent peut-être, selon lui, sur les définitions, ou, si l'on aime mieux, sur les notions, mais encore les liaisons mêmes entre les idées, les *vincula*, sont à leur tour des idées, des objets d'intuition. S'il en est ainsi, la base ultime de tout le système est dans les idées, et c'est sur elles principalement que le doute aurait dû porter » (*o. l.*, p. 112-13).

[1] *II Resp.* (AT. VII, 166-7.)

perfecta ? At Cartesius non quaesivit, sed propriam quam efformaverat ipse, solemni quasi sanctione a priori consecravit.

Peccavit ideae retentione ; sed peccavit quoque eius usu. « Ut ex eo, scribit, quod, exempli causa, percipiat (mens) in idea trianguli necessario contineri, tres eius angulos aequales esse duobus rectis, plane sibi persuadet triangulum tres angulos habere aequales duobus rectis : ita ex eo solo quod percipiat existentiam necessariam et aeternam in entis summe perfecti idea contineri, plane concludere debet ens summe perfectum existere »[1].

Quid sibi vult ideam trianguli involvere adequationem trium angulorum cum duobus rectis ? Sibi vult duo : *a*) Quod conceptus trianguli non possit separari a conceptu aequationis eius angulorum cum duobus rectis. Si cogito triangulum, eius tres anguli necessario debent esse in meo conceptu aequales duobus rectis : Inseparabilitas conceptuum. *b*) Quod si umquam res daretur meo de triangulo conceptui adequate respondens, necessario eius tres anguli de facto esse deberent aequales duobus rectis : Inseparabilitas attributorum.

Propositio nostra est condicionata : si datur re triangulus, datur re adaequatio trium eius angulorum cum duobus rectis. Sed utrum re haec adaequatio detur (praedicatum) ? Videndum utrum re detur triangulus (subiectum).

Idea autem quam habemus de triangulo universalis est, abstracta a concretis et singularibus : nequit propterea realem exsistentiam vi sua exprimere.

Eadem penitus ratione eodemque modo ab exsistentia reali praescindunt quae de rebus materialibus nobis

[1] *I Princ.*, 14 (AT. VIII, 10).

adsunt ideae : et quia essentiae rerum materialium obiectum sunt pro praesenti proprium atque directum cognitionis nostrae, quod propterea primo et vi sui, cetera autem ratione et ad modum attinguntur illius, si aliqua efformetur adminiculo illarum nova idea, tantum abest ut haec exsistentiam actualem involvat, quantum quod aliquis effectus vincere valeat perfectionem quae est in eius una totalique causa.

Et praecise ex conceptibus abstractis a rebus sensibilibus idea Dei, per remotionem, analogiam atque excellentiam a nobis obtinetur : cum igitur conceptus illi, quarum virtutem mutuatur, nullam realem exsistentiam exprimant, nec ipsa valet actualem exsistentiam menti primo ictu denuntiare.

Quid ergo significat propositio : idea Dei involvit necessariam atque aeternam exsistentiam ?

a) Quod si animo perpendatur, non possit illi non attribui exsistentia. *b*) Quod si umquam aliquid detur extra mentem, mentali de Deo conceptui apprime respondens, ei debet convenire necessaria atque aeterna exsistentia. Propositio est semper, si de facto agitur, condicionata : Si aliquis est Deus, necessario atque aeternaliter exsistit. Sed utrum de facto aliquis sit necessario atque aeternaliter exsistens ? Et videndum utrum aliquis de facto sit Deus. Cum autem idea Dei ex sensibilibus abstractis ideis elaborata, abstracta sit et ipsa, exsistentiam actualem vi sua et pondere exprimere nullo modo valet [1].

[1] Ad rem Garrigou-Lagrange : « Nous ne connaissons pas l'essence divine telle qu'elle est en elle-même, dans ce qui la constitue en propre (*quidditative*), nous ne l'atteignons que par des concepts positifs analogiques qui nous la font connaître dans ce qu'elle a de commun avec les créatures, et ce qui lui convient en propre ne nous est connu que négativement (être non fini) ou relativement (être suprême). D'où il suit que

Adest demum vitium in fructibus.

Cartesius addit : Hoc ipsum quod antea pro regula assumpsi, nempe quicquid clare et distincte percipio verum esse, non aliam ob causam est certum, nisi quia Deus exsistit, ens summum et perfectum simulque summe verax.

Videamus an re adsit percelebris vitiosus circulus.

Et quidem si ab universali dubitatione unus excideretur intuitus, cartesianis maneret probandum quo iure, quoque pacto exsistentia Dei ab idea possit erui in qua non continetur : sed error hic fuit, vitium autem non.

At si dubii extensio ad intuitum usque sustinetur, nullus adest iam exitus quo circulus vitiosus caveatur. — Quia clare et distincte in conceptu de Deo involvitur eius exsistentia, Deus exsistit : quia autem Deus exsistit verum est quod continetur in claro et distincto conceptu. — Aut aderat ideae clarae distinctaeque vis ad Dei exsistentiam inferendam, et tunc idea clara et distincta vi etiam ontologica gaudet ante Dei probatam exsistentiam : aut non aderat, et tunc ontologica Dei exsistentia, de qua quaeritur, merito ideae clarae et distinctae manet adhuc probanda. Uno verbo : aut criterium iustificat (in ordine cognitionis, ut patet) exsistentiam Dei, aut haec evincit criterii veritatem : ex quo dilemmate exire nullatenus conceditur. Causae nequeunt in ipsomet genere esse ad invicem causae.

Et inde est quod nonnulli ad novam explanationem

nous connaissons la Déité comme toutes les autres essences, d'une façon abstraite. Cette notion abstraite qu'éveille en nous la notion de Dieu, bien qu'elle diffère de toutes les autres parce qu'elle implique l'aséité ou l'existence essentielle, ressemble à toutes les autres en tant qu'elle fait abstraction de l'existence actuelle ou de fait ». (*Dieu, son Existence et sa Nature*, Paris, Beauchesne, 1915, p. 68.)

recursum fecerunt : evidentia, aiunt, ut generalis et antecedens regula valorem psychologicum habet et subiectivum : obiectivum vero et ontologicum non nisi Dei habita notitia consequitur [1]. At si Deum esse, una valemus subiectiva attingere certitudine, ipsum pariter non nisi relativam, quoad nostrum concipiendi modum, nancisci exsistentiam ultro manet concedendum. Et ideo, ipso quoque exsistente detecto, nulla, quae subiecti limites transcendat, potiri fatendum est evidentia [2].

[1] Sic Bouillier : « Il nous semble que Descartes aurait pu mieux se défendre (du cercle) en distinguant l'évidence en elle-même de l'évidence en son principe, ou l'évidence au point de vue psychologique de l'évidence au point de vue ontologique. Sans nul doute, l'évidence en elle-même, telle qu'elle se fait dans notre esprit, se suffit entièrement, et n'a pas plus besoin d'une autorité qui la confirme que la lumière, comme nous l'avons dit, d'une lumière qui l'éclaire. Demander une preuve à l'appui de cette évidence, c'est demander quelque chose de contradictoire. Mais il n'est nullement contradictoire, à ce qu'il nous semble, de rechercher quel peut être, en dehors de notre esprit, le fondement de cette irrésistible autorité de l'évidence » (I, 84).

[2] Ideo admissa semel pro valida illa dubitandi ratione, unicum restat effugium : agnosticismus. Cartesius ipse advertisse videtur dum scripsit : « Statim atque aliquid a nobis recte percipi putamus, sponte nobis persuademus illud esse verum. Haec autem persuasio si tam firma sit ut nulla unquam possimus habere causam dubitandi de eo quod nobis ita persuademus, nihil est quod ulterius inquiramus ; habemus enim quod cum ratione licet optare. Quid enim ad nos si forte quis fingat illud ipsum, de cuius veritate sumus tam firmiter persuasi, Deo vel Angelo falsum apparere, atque ideo, absolute loquendo, falsum esse ? Quid curamus istam falsitatem absolutam, cum illam nullo modo credamus, nec vel minimum suspicemur ? » (*II Resp.* — AT. VII, 144-5.) — Cf. *Lettres*, 29 juillet 1648 (AT. V, 223-4). Propter hoc etiam, et praecipue, scepticismum doctrina cartesiana fuit absque

Demum, veracis Dei creatoris exsistentia manifestata, valorem omnium cognoscendi facultatum Cartesius restituit. Facultates a Deo unicuique tributae sunt, nec ex seipsis in errorem vel falsitatem inducunt : fallimur quia ultra id, quod intellectus atque instinctus et sensus denuntiant prava voluntate iudicamus.

At; praeter hoc quod fere semper in casu iudicium suspendere deberemus cum totum omnino cuiuslibet rei cognoscere non valeamus [1], nullum affertur argumentum quo ad veritatem nos factos esse demonstretur. Ponamus Deum positiva actione in errorem ducere repugnare : undenam constet Ipsum veri facultatem praebuisse ? Quo vindicabit iure creatura a Creatore perfectionem ? Si autem, licet Deus fallere nequeat, ut saepius illudamur valet permittere, quodnam affertur criterium ut locum a loco discernamus, atque, infinitam eius penetrantes sapientiam, nostra ignorantia non vincamur ?

« Certitudinis criterium a Dei petitum scientia et bonitate, ait Mercier, necessario absque enodatione quaestiones has dimittit » [2].

dubio sive ab Ecclesia Catholica, sive a Protestantium synodis iam ab initio tamquam irreligione et atheismo infecta damnata.

[1] « Nous ne savons le tout de rien » (Pascal).

[2] « La certitude que Dieu existe et qu'Il est l'auteur de mes facultés cognitives ne me rend pas immédiatement évidente l'impossibilité que je me trompe toujours. Il n'est pas immédiatement évident que l'Etre sans bornes s'identifie avec la Perfection morale absolue, ni que cette perfection soit incompatible avec mon impuissance à connaître le vrai. Car, enfin, Dieu permet que je me trompe ; est-il évidemment contraire à sa sagesse de permettre que je me trompe toujours ? Il est des cas où je me trompe. Comment les discerner de ceux où Dieu ne permet pas que je tombe dans l'erreur ? Un criterium de vérité emprunté à la sagesse et à la bonté de Dieu laisse ces questions sans réponse » (Mercier, *Crit.*, 222).

* * *

Breviter contrahens vitiorum summam, cartesianum dubium, quia non omnes complectitur philosophicas provincias, dicam insufficiens ; quia reale, inutile ; si particulare, illegitimum ; si autem universale, quia positivum, non amplius esse methodicum sed absolutum.

* * *

Ex quibus iam satis apparet quasnam induere oporteat condiciones methodica quae in scientiis adhibetur dubitatio.

Debet, primo, intra limites quidem speculationis manere, propterea quod scientia, non autem praxis, cognitionem postulet quam diximus reflexam. At ipsos quoque fidei terminos, necesse est, iuxta modum praedictum, attingat quia nihil decet virum philosophum credere praeter quod videt esse credendum.

Potest, secundo, realis esse : sive quia talem postulat ab errore ad veritatem transvectio, sive quia, dum veritatem possidemus, nullum ex se quin ad ipsam denuo redeamus invictum obstaculum affert. At dubium ficticium aeque immo et melius diximus suppeditare : hoc enim reali, cum est opportunum, praestat locum, atque dum in veritate exploranda sistimus, fructibus, nedum officiat, pericula removens ac praesidium ferens, proficit.

Particulari autem dubitatione non fit satis, sed universalis requiritur. In ipsis exordiis Criteriologiae, secundum totam sui latitudinem venit examinandum

criticum problema : nulla est excipienda facultas, nulla subducenda veritas. Si enim vel una omittitur truncatum atque deficiens remanet. Sed accedit quod antecedenter ad quodlibet examen, veritas illa seu facultas certitudine nulla gauderet philosophica, vel reflexa quam praecipue prosequimur. Cuiusvis exclusio arbitrarie propterea fieret, cum ullum pro eius valore occurrerit argumentum. Ideo Aristoteles, cuius fuit perpetua consuetudo ut in omnibus suis libris inquisitioni veritatis praemitteret dubitationes, quique dum particulares quaestiones exagitat, particulares dubitationes movet, dum de veritate in genere et universali agitur, universalem, ut notat S. Thomas, dubitationem prosequitur [1].

Quae autem nullo modo potest dubio methodico convenire illa est positiva qualitas. Vitium quippe examinis est hoc ipsum quod probatu venit, ante institutam probationem, ponere falsum, et hic erratum Cartesii errato eius Architecti par fuit, qui aedificii firmitatem exploraturus ab huius eversione sumpsit initium.

Porro in Criteriologiae porticu, sicut nulla adest

[1] « Est autem attendendum, quod propter has rationes consuetudo Aristotelis fuit fere in omnibus libris suis, ut inquisitioni veritatis vel determinationi praemitteret dubitationes emergentes. Sed in aliis libris singillatim ad singulas determinationes praemittit dubitationes : hic vero simul praemittit omnes dubitationes, et postea secundum ordinem debitum determinat veritatem. Cuius ratio est, quia aliae scientiae considerant particulariter de veritate : unde et particulariter ad eas pertinet circa singulas veritates dubitare : sed ista scientia sicut habet universalem considerationem de veritate, ita etiam ad eam pertinet universalis dubitatio de veritate : et ideo non particulariter, sed simul universalem dubitationem prosequitur » (*In III Met.*, lect. 1, n. 343, p. 116-7).

pro valore ratio, nullum est contra facultatum virtutem argumentum. Pro examine igitur quodlibet favens aut adversum iudicium suspendatur, et in hac mens sistat conscia ignorantia, donec instrumentorum momentum aequa lance secum perpendat.

Quis autem, ex universali hac inscientia ad philosophicam certitudinem pateat exitus, alias, prospero si utimur fortunae flatu, persequemur.

CATALOGUS AUCTORUM

ACKERMANN. *La liberté dans la croyance chez Descartes*, Ann. de la Ph. Chrét., févr. 1893.

ADAM. *Vie et Œuvres de Descartes*. Supp. à l'édit. de Descartes. Paris, Cerf, 1910.

— *Pascal et Descartes*. Rev. Philos., 1888, I, 65 et ss.

— *De Methodo apud Cartesium, Spinozam et Leibnitium*. Paris, 1885.

AUBRY. *Mélanges de philosophie catholique, le cartésianisme, le rationalisme et la scolastique*. Paris, 1895.

BAILLET. *La Vie de M. Des-Cartes*. Paris, Hortemels, 1691.

BALMES. *Filosofía Fundamental*. Barcelona, 1860.

BAUMANN. *Doctrina cartesiana de vero et falso explicata atque examinata*. Berlin, 1863.

BINET. *La morale de Descartes*. Ann. de la Phil. Chrét., févr., avril et mai 1898.

BORDAS-DEMOULIN. *Le cartésianisme, ou la véritable rénovation des sciences*, etc. Paris, 1843.

BOUILLIER. *Hist. de la philosophie cartésienne*. Paris, Delagrave, 1868.

BOUTROUX. *Etudes d'hist. de la philosophie*. Paris, Alcan, 1913.

— *De veritatibus aeternis apud Cartesium*. Paris, 1875.

BROCHARD. *Descartes : Discours de la Méthode*. Paris, Alcan, 1917.

— *De l'Erreur*. Paris, Alcan, 1897.

— *Descartes stoïcien*. R. Philos., 1880.

CHARPENTIER. *Essai sur la Méthode de Descartes*. Paris, Thorin, 1869.

— *Descartes : Discours de la Méthode*. Paris, Hachette, 1910.

CHOLLET. *Descartes*. Dict. de la Théol. cath., IV, 532 et ss.

— *Doute*. Ibidem, IV, 1811 et ss.

CLAUBERGIUS. *Paraphrasis in Meditationes Cartesii*. — *Notae breves in Cartesii Principia Philosophiae*. — *Exercitationes centum de cognitione Dei et nostri*. — *Logica vetus*

et nova. — *Logica contracta.* — *Defensio Cartesiana.* — *Dubitatio Cartesiana.* — *Differentia Cartesianam inter et Vulgarem Philosophiam.* — Inter *Opera Omnia Philosophica*, Amsterlodami, 1691.

Cochin. *Descartes.* Paris, Alcan, 1913.

Cousin. *Introduction à l'hist. de la Philosophie.* — *Cours d'hist. de la Phil.* — *Fragments philosophiques.* — *Œuvres*, vol. I et II. Bruxelles, 1840 et 1841.

Damiron. *Essai sur l'hist. de la philosophie en France au XVII*me *siècle.* Paris, 1845.

Darjes. *Via ad veritatem.* Jenae, 1755.

Debricon. *Descartes.* Paris, Michaud, 1909.

Delbos. *L'idéalisme et le réalisme dans la philosophie de Descartes.* Paris, Alcan, 1912.

Descartes. *Œuvres*, publiées par Adam et Tannery, sous les auspices du Ministère de l'Instruction publique. Paris, Cerf, 1897–1913.

Dunan. *Descartes et sa Méthode.* Ann. de la Ph. Chrét., juillet 1910.

— *Les deux idéalismes.* Paris, Alcan, 1911.

Farges. *La Crise de la Certitude.* Paris, Berche, 1908.

— *La philosophie de Descartes.* Paris, Féron-Vrau, 1917.

Fonsegrive. *Essais sur la connaissance.* Paris, Lecoffre, 1909.

Fouillée. *Descartes.* Paris, Hachette, 1893.

— *Descartes et la Philosophie contemporaine.* R. Philos., 1894. I, p. 535 ss.

Franck. *Dict. des Sciences philosophiques.* Paris, Hachette, 1885.

Gassendi. *Disquisitio Metaphysica adversus Cartesium.* Inter *Opuscula Philosophica*, Lugduni, 1658, vol. III.

Gilson. *Index Scolastico-Cartésien.* Paris, Alcan, 1912.

Gioberti. *Introduzione allo studio della filosofia.* Capolago, 1845–46.

Gonzalez. *Estudios sobre la filosofía de Sto. Tomás.* Manila, 1864.

— *Hist. de la Filosofía*, vol. III. Madrid, 1879.

Hamelin. *Le système de Descartes.* Paris, Alcan, 1911.

Höffding. *Hist. de la Phil. moderne.* Trad. de Bordier. Paris, Alcan, 1906.

Hotho. *De Philosophia Cartesii.* Berlin, 1826.

Huet. *Censura Philosophiae Cartesianae.* Neapoli, 1728.

Hugon. *Cursus Philosophiae Thomist.* Paris, Lethielleux, 1903.

Janet. *Descartes.* Revue des Deux-Mondes, 15 janv. 1868.

JANET et SÉAILLES. *Hist. de la Philosophie*, IX^me^ édit., Paris, Delagrave.

JEANNIÈRE. *Criteriologia*. Paris, Beauchesne, 1912.

KLEUTGEN. *La philosophie scolastique exposée et défendue*. Trad. de Sierp., Paris, Gaume, 1868.

KNOODT. *De Cartesii sententia : Cogito, ergo sum*. Breslau, 1845.

LABERTHONNIÈRE. *La théorie de la foi chez Descartes*. — *La Religion de Descartes*. Ann. de Ph. Chrét., juillet, août et sept. 1911.

LANNA. *La teoria della conoscenza in S. Tomaso d'Aquino*. Firenze, 1913.

LE GRAND. *Institutio Philosophiae sec. principia D. Renati Descartes*. Norimbergae, 1679.

LÉON. *Les éléments cartésiens de la doctrine spinoziste*, etc., Paris, Alcan, 1907.

LIARD. *La méthode de Descartes et la mathématique universelle*. R. Philos., 1880.

— *Descartes*. Paris, Alcan, 1911.

— *Descartes : Les Principes de la Philosophie*. Paris, Delagrave.

LIBERATORE. *Institutiones Philosophicae*. Prati, 1881.

— *Della Conoscenza intellettuale*. Napoli, Giannini, 1879.

LIPSTORPIUS. *Specimina Philosophiae Cartesianae*. Lugduni Batav., 1653.

MALEBRANCHE. *Recherche de la Vérité*.

MARITAIN. *A propos de la Révolution Cartésienne : Philosophie scolastique et Physique mathématique*. Rev. Thomiste, 1918, p. 159 ss.

MAUMUS. *Saint Thomas d'Aquin et la Philosophie cartésienne*. Paris, Lecoffre, 1890.

MELZER. *Augustini atque Cartesii placita de mentis humanae sui cognitione*, etc. Bonn, 1860.

MENASCI. *Infinito e indefinito in Cartesio*. Riv. di Fil., maggio-giugno, 1911.

MERCIER. — *Critériologie générale*. Paris, Alcan, 1906.

— *Pourquoi le doute méthodique ne peut être universel*. Rev. Néo-Scol., 1897, p. 182 ss.

MILLET. *Descartes, sa vie, ses travaux, ses découvertes avant 1637*, Paris, 1867.

— *Descartes, son histoire depuis 1637, sa philosophie, son rôle dans le mouvement général de l'esprit humain*. Paris, 1870.

MONTAGNE. *Le doute méthodique selon S. Thomas d'Aquin*. Rev. Thomiste, 1910, p. 433 ss.

NARDI (DE). *Della matematica e della fisica nella logica di Cartesio, Spinoza, Liebnizio e Kant.* Forli, 1905.

PESCH. *Institutiones Logicales.* Friburgi in Br., Herder, 1888.

(PORT-ROYAL). *La logique ou l'art de penser.* Paris, Desprez, 1683.

RABIER. *Descartes : Discours de la Méthode.* Paris, Delagrave, 1890.

REV. DE MÉTAPHYSIQUE ET MORALE. N° de juillet 1896 : *III*me *Centenaire de la Naissance de Descartes.*

ROBIN. *Le système de Descartes.* Ann. de Phil. Chrét., févr. 1912.

ROCHEMONTEIX. *Un Collège de Jésuites aux XVII*me *et XVIII*me *siècles : Le Collège Henri IV de La Flèche.* Le Mans, Leguicheux, 1889.

ROLAND-GOSSELIN. *La révolution cartésienne.* R. des Sciences phil. et théol., 1910, p. 678 ss.

ROYER-COLLARD. *Fragments philosophiques.* Paris, Alcan, 1913.

SÉAILLES. *Quid de Ethica Cartesius senserit.* Paris, 1883.

SENTROUL. *Doute « méthodique » et doute « fictif ».* Rev. des Sciences Phil. et Théol., 1909, p. 433 ss.

SPINOZA. *Renati Descartes Principia Philosophiae more geometrico demonstrata. Opera,* éd. Bruder, vol. I. Lipsiae, Tauchnitz, 1843.

TEPELIUS. *Historia Philosophiae Cartesianae.* Norimbergae, 1674.

THOMAE AQUINATIS (S.). *Summa Theologica.* — *Quaestiones Disputatae.* — *Comm. in libros De Anima.* — Inter *Opera Omnia,* ed. Vives, Paris, 1889 ss.

— *Comm. in libros Metaphysicorum,* ed. Collegii Angelici de Urbe. Taurini, Marietti, 1915.

TIGER. *De la méthode cartésienne : Aristote et Descartes.* Ann. de Ph. Chrét., avril, 1897.

VENTURA DE RAULICA. *Essai sur l'origine des idées,* etc. Paris, Vaton, 1853.

VENTURA (J.). *De Methodo philosophandi.* Romae, 1828.

VIALLET. *Je pense, donc je suis.* Paris, Alcan, 1897.

VRIES. *De Renati Cartesii Meditationibus a Petro Gassendo impugnatis, dissert. hist.-philos.* Ultraiecti, 1691.

ZIGLIARA. *Summa Philosophica.* Paris, Beauchesne, 1912.

INDEX

Operis Dedicatio v
Praefatio ad Lectorem vii

Caput I. — Dubii Cartesiani positio 1
I. Cartesii perpetuum veritatis studium 1
II. Cartesii pro veritate suscepti in iuventute labores . . 4
III. Tot laborum quaenam sterilitas 10
IV. Dubii professio 20

Caput II. — Dubii Cartesiani explicatio 27
I. Methodus quam in dubitando Cartesius sequitur . . 27
II. Ordinem religiosum et ethicum a dubitatione excipit . 32
III. In dubitatione processus 34
§ 1. Qua ratione Cartesius procedat 34
§ 2. Quaenam sint nostrarum facultatum data et argumenta 35
§ 3. Recognitionis instrumenta 42
§ 4. Recognitio instituitur per postulatum primum . . 44
§ 5. Recognitio instituitur per postulatum alterum . . 51
a) Somni hypothesis 52
b) Genii deceptoris hypothesis 56

Caput III. — Dubii Cartesiani proprietates 65
I. Praeviae notiones 65
II. Dubium cartesianum est scientificum 68
III. Dubium cartesianum est reale 71
IV. Dubium cartesianum est positivum 88

V. Dubium cartesianum an sit universale 91
§ 1. Duplex intellectus operatio describitur. 92
§ 2. Quisnam inductionis valor 93
§ 3. Valor intuitus 97

Caput IV. — Dubii Cartesiani fructus 113
I. Cogito, ergo sum, certitudinis principium. 113
II. Idea clara et distincta, certitudinis criterium 118
III. Exsistens Deus ac verax, certitudinis fideiussor . . . 122
IV. Applicationes. 125

Epilogus. — Dubii Cartesiani Censura. 129
Catalogus Auctorum 161

Friburgi Helvetiorum. Typis Consociationis Sancti Pauli. 1919.

1606 194 L86
Fumberas
AUTHOR
De Dubio Methodico Cartesii
TITLE
1606
DATE
ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
GRADUATE THEOLOGICAL UNION
BERKELEY, CA